



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri


La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

DE PVERIS

STATIM AC LIBERALI-

ter instituendis, libellus & nouus
& elegans ~~EMERITISSIMA~~

~~DISCIPULUM.~~



E I V S D E M

De Civilitate morum puerilium.

De ratione studij.

De ratione instituendi discipulos.

Concio de puer*o* I E S V.

Omnia per autorem recognita,
& locupletata.

VIRTVTB DVCB



C O M I N C E F O R T A N N A .

S E B . G R Y P H I V S L V -

G D V N I E X C V D .

A N N O

M . D . X X X I .

2
ILLVSTRISSIMO PRINCIPII
Guilhelmo duci Cluensi, Iuliacensi, Mon-
tensi, Comiti Marchiae, & in Ra-
uenspurg, &c. ~~Amstelensis~~
F. S. D.



ONRADVS Hercsbachius, vir ad
unguem factus, qui magno Reipub. bo-
no, pueritiae tuae formator contigit cla-
rissime Princeps, indolem tuam erudi-
tioni pariter ac pietati natam ita mihi
suis literis frequenter depinxit, ut si complures menses
tecum domesticam habuisset consuetudinem, non esse
posset notior. Idem pro singulari quodam erga te amo-
re, quem undiq; spirant illius Epistole, magno studio,
multisq; argumentis illud agebat, ut aliquo monumen-
to literario, & tibi in isto longe pulcherrimo stadio
strenue currenti, calcar, ut auctor, adderem, & alios a-
dolescentes generis imaginibus claros ad emulationem
tam felicis exempli prouocarem. Ab hoc officio, adeo
mihi non abhorrebat animus, ut beneficij loco ducerem
admonitum fuisse. Verum quod in annos aliquot distu-
limus officium, nihil aliud, nūhi crede, fuit in causa, nisi
quod non obtigit argumentum, quod tuae magnitudini
aliqua ex parte respondere uideretur. Nam ille sic tem-
perauit orationem suam, ut appareret non quolibet mu-
nere fore contentum. Quū igitur non occurreret quale
solebam, cœpit tandem me pudere promisi mei, usumq;
est tenues quosdam, sed callidos clientes imitari, qui cū
ingen

ingentem summam debeant patronis suis, nec adhuc sol= uendo sint, hortensibus quibusdam munusculis eos delia niunt, quo patientius ferant recrastinatam solutionem, hoc pacto testantes non animum facultatibus, sed facul= tates animo deesse. In Italia deliniaram opus de uerbo= rum rerumq; copla. Adieceram exemplum eiusdem ar= gumenti, quam potuit in compendiu contracti, ex eius= dem fusius copiosiusq; tractati. Is cui Roma tradiderā describendum, reddidit hanc partem mutilam, ac uix di= mudiatam, ut quod supererat, mihi frusta superesset. Deinde quum ab eruditis amicis subinde rogarer, ut ex= citandis studijs, quae iam refrigescere uidebantur, opus illud absoluere: animum uehementer abhorrentem, ta= men hic perpuli, ut inspecta diuisione, que totius argu= menti propositiones ceu columnas habebat, denuo rece= ptum in manus, pertexerem. Puta hoc esse munusculum aliquod cerasaceū. Adieci duos libellos nunquā antehac editos, puta hæc esse duo mala Cydonia ex horto pau= pere selecta. Que rusticana munuscula non in hoc da= mus adolescens generosissime, quod his fidem nostram liberatam uelimus, sed ut liberandi uoluntatem adesse te= stemur. Solent autem humani credores minus appella= re eos, qui subinde ueluti seipso appellantes profitentur es alienum. Quod qui dissimulant, meditari uidetur in= ficiationem. Quanquā hæc causa mihi potius agēda fue= rat cum Hereshachio, qui me ex stipulatione poterat in ius uocare. Sed apud te malui, quē mihi sciebam æquio= rem fore in negocio proprio, quam ille foret in alieno. Sic enim ille te deamat, sic fauet, commodis, honori di= gnitatiq;

a 2 gnitatiq;

4 EPISTOLA NVNC VPATORIA.

gnitatiq; tue, ut si usquam possit, in his procurandis uia-
deatur ab illa genuina uerecundia posse recedere. Age
Princeps ornatisime, perge in isto pulcherrimo cœrta-
mine, ut ille tuam celsitudinem optimis disciplinis, tu il-
lius doctrinā, fortunę ac dignitatis accessione illustres.
Libellum non laborabo tibi commendare, nisi hoc no-
mine quod ex nouus est, ex totus meus. Deinde quod
docet multa paucis complecti, quod dictionis genus, nul-
los magis decet quam summos principes. Vnicum exem-
plum à nobis proditū est, ex duō Augustino plura sup-
petunt, qui nonnunquam psalmum mira breuitate com-
pletebitur, quem mox largissima rerum ac uerborum co-
pia differit. Postremo quod hæc instituendi ratio,
principum liberis potissimum est accommo-
da, quippe qui quum maxime omnium
egeant recta institutione, tamen nō
cōuenit secus, quam liberaliter
erudiri. Bene uale apud
Friburgū Brisgoie.

Calend. Iulijs.

Anno M. D.

XXIX.

PVEROSAD

VIRTVTEM AC LITERAS

liberaliter instituendos, idq; protinus
à nativitate, declamatio cōtra=
et thematis exemplū per
~~magistrorum~~.



I M E quidē audies, uel Chry Propositio
sippum potius philosophorū acu absq; exor=
tissimum, infantem tuum ilico bo= dio protinus
nis literis instituendum curabis, ad argumen=
dum adhuc uacū curis ac uicijs ta.
ingenium, dum mollis ac tracta=
bilis etas, dum ad quiduis se=
quax et habilis animus, interim et tenacissimus per=
ceptorum. Nihil enim perinde meminimus senes, atq;
ea que rudibus annis imbibimus. Neq; uero te quicquā Diuīsio cōfu=
commoueant istorum uoces, qui dicitant istam etatem tationis.
partim non esse disciplinarum satis capacem, partim fe=
rendis studiorum laboribus imparem. Primum enim lia=
terariorum initia memoria potissimum constant, que paru=
lis, ut dixi, uel tenacissima est. Deinde quoniam natura
nos ad cognitionem genuit, non potest esse præprope=
rum eius rei studium, cuius semina quædam nobis ipsa
rerum parens insevit. Adde quædam esse grandibus etiā
cognitu necessaria, que peculiari quadam naturæ pro=
pensione multo tum citius tum facilius percipit etas
tenera quam robustior. Veluti literarum elementa, lin=
guam

guarum peritiam, aplogos ac fabellas Poëticas. Postremo quir existimetur ea etas ad literas agnidae, que sit iam ad mores discendos apta? Aut quid alioqui potius facient pueri iam fandi potentes, quandoquidem aliquid faciant necesse est? Quanto utilius etas illa ludit in litteris, quam in nugis? Dices, perquam leue momentum est quod primis illis annis efficitur? Quir ut pusillum contemnitur, quod ad rem longe maximam necessarium est? Deinde quir lucrum illud quantulumcunq; lucrum tamen, studio negligitur? Iam si pusillum pusillo frequenter apponas, acerius oritur haud quaquam aspernans. Interim et illud perpende, si munora discit infans, maiora discet adolescens, ijs annis, quibus illa munora fuerant discenda. Deniq; dum haec agit, saltem à uicijs illis arcebatur, quibus eam etatem ferè uidemus infici. Nulla enim res melius occupat totum hominis animum, quam studia. Hoc certe lucrum contemni non debet. Ceterum ut demus his laboribus aliiquid decidere robori corporis, mihi dannum hoc pulchre pensatum uidetur ingenij lucro. Nam animus moderatis laboribus redditur uegetior. Et si quid hic periculi est, potest nostra cura uitari. Adhibendus est tenerae etati doctor, qui blandicijs illiciat, non qui saeuicia deterreat. Tum autem sunt quedam et cognitu iucunda, et puerilibus ingenij quasi cognata, que discere ludus est potius quam labor. Quanquam non est adeo imbecillis puerorum etas, que uel ob hoc ferundis laboribus magis est idonea, quod laborum sensu caret. Proinde, si cogitaris quam non sit homo, qui literarū expers est, quam sit su

Epilogus.

• sit fugax hominum uita, quam lubrica in malum adolescentia, quam occupata iuuentus, quam sterilis senecta, tum quam paucis mortalium haec contingat, non sines infanti tuo, in quo ueluti renatus superstes eris, ullam eui parte incultam abire, in qua parari queat aliiquid, quod uel in omnem uitam magnum bonum adferat, uel a malis arceat.

IDE M ARGUMENTVM LOCVA
PLETATVM COPIA.



O S T diu desperatam uxoris fœcunditatem, audio te patrem esse factum, & quidem prole mascula, quæ miram quandam, hoc est planè parentum indolem præse ferat, quæ si modo quicquam ex huiusmodi notis indicijsq; licet augurari, uirtutem absolutam polliceri uideatur. Itaq; tibi in animo esse, puerum tantæ spei, simul atque grandiusculus erit factus, curare bonis literis initianendum, honestissimisq; disciplinis erudiendum, saluberrimis philosophiae præceptis formandum & instruendum: Nimirum uis totus esse pater, & illum uis uerum esse filium, qui te non solū oris figura, corporisq; liniamentis exprimat, uerum etiam ingenij dotibus referat. Evidem ut amici non vulgaris felicitati ex animo gratulor, ita prudentie tue propositum magnopere probo. Vnum illud audacter quidem, sed tamen Propositio.

8 DE PVERIS STATIM

amanter admonuerim, ne uulgi uel iudicium uel exemplum sequatur, cōmittas, ut prima infantuli tui etas ci- tra omnem institutionis frugem effluat, ac tum demum ad discenda literarum adnoueas elemēta, quum iam ex etas minus tractabilis, ex ingenium ad uicia prop̄fius, ac fortassis uiciorum tenacissimorum uepribus occupa- tum. Quin tu mihi iam nunc uirum aliquem circūspie- ce, ut moribus incorruptis ex cōmodis, ita doctrina neu- tiquam triviali pr̄editū, cui puellum tuum ueluti tenera- mentis nutritio in gremium tradas, quo literarum ne- ctar, unā cum ipso lacte combibat, pariterq; filoli cu- ram ex aequo nutricibus ac p̄receptorī partiaris, ut illæ corpusculum quam optimo uegetent succo, hic animum salubribus opinionibus ex honestissimis imbuat discipli- nis. Neq; enim arbitror cōuenire, ut uir unus omniū do- ciſsimus, ex idē prudētissimus, mulierculas istas audias, aut uiros etiam excepta barba mulierculis simillimos, qui crudeli quadam misericordia, ex inimica benevo- lenta, pueros ad ipsam usq; pubertatem inter matercu- larum oscula nutricum blandicias, ancillarum ac famu- lorum l̄fus ineptiasq; parum castas, detinēdos cēsent, ac prorsus à literis tanquam à uenenis arcendos existi- mant, dictantes primā etatem, ex rudiorem esse, quam ut disciplinarum sit capax, ex teneriorem, quam ut stu- diorum laboribus sit idonea. Postremo leuioris esse mo- menti, etatis illius profectum, quam ut ea gratia sit aut faciendus sumptus, aut uexanda puerorum imbecillitas. Horū singula dum refello, quæso ut mihi paulisper ania- mum attētum accōmodes, reputans id quod res est, hac scribi

Divisio.

scribi primum ab homine quo uix habes diuum tuū amā
 tiorem, tum ea de re, qua non alia magis ad te pertinet.
 Quid enim filio charius, præsertim unico, in quē etiam
 uitam nostram cupianus transfundere si liceat, non mo-
 do facultates? Proinde quis non uideat eos peruerse si-
 mul ac præpostere facere, qui in colendis agris, extruen-
 dis ædificijs, alendis equis summam adhibent curam, ac
 uiros prudentes multoq; rerū usu callidos in consilium
 adhibent: in educandis formandisq; liberis, quorum gra-
 tia cætera parantur omnia, tam nihil habet pensi, ut nec
 suum ipsorum consulant animum, nec cordatorum homi-
 num exquirant sententias, sed perinde quasi ludicra res
 agatur, ineptis mulierculis, et è plebe quibuslibet hominū
 cionibus auscultant? Quod non minus absurdè fit, quam
 si quis de calceo magnopere sollicitus, pedem ipsum ne-
 gligat, aut summo studio curet, ne quid uicij sit in ue-
 ste, de corporis ualeutidine securus. Non hic te remora-
 bor uir optime locis communibus, quantum naturæ uis,
 quantum pietas, quantum diuina lex, quantum huma-
 næ constitutiones parentes debere uolunt liberis, per
 quos quatenus licet effugimus mortalitatem, ac reddi-
 mur immortales. At quidam sibi parentis officium pul-
 chre uidentur implesse, si generint tantum, quem hæc
 sit minima portio pietatis, quam exigit patris cogno-
 men. Ut uere sis pater, totus tibi curandus est filius, ciq;
 parti debetur prima ac præcipua cura, qua pecudibus
 antecellit, et ad numinis similitudinem proxime acce-
 dit. Quantam sollicitudinem matrum uulgas adhibet, ne
 infans euadat strabus aut petis oculus, ne byccis fluentia

a s bus,

bus, ne cervice inflexa, ne protuberantibus scapulis, ne tibijs uaris, ne pedibus distortis, ne parum concinna corporis totius symmetria, quam ad rem præter alia fascijs etiam solent uti, ac mitellis quibus succingunt buccas. Habetur interim ex lactis, ex ciborum, ex balneorum, ex motus ratio, quibus prosperam corporis ualeitudinem pueris parari multis uoluminibus medici docuerunt, non minatim autem Galenus: nec hanc sedulitatem differunt in septimum aut decimum annum, sed mox exceptum ex uteri latebris ad hanc curam uocat. Et recte faciunt, si quidem neglecta infantia frequenter homines tradit morbide ex afflictæ senectuti, si tamen huc peruenisse cotinat. Quinetiam nondum edito foetu, matrum tamē uigilat cura, non uescuntur quibuslibet cibis grauidæ, cauent ab incômodo corporis motu: ex si quid forte in faciem incidenterit, protinus auulsum manu ad secretam corporis partem applicant. Eo remedio fieri multis experimentis compertum est, ut deformitas quæ in conspicua corporis parte erat futura, lateat in occulta. Nemo uocat hanc curam præproperam, quæ deteriori hominis portioni adhibetur: quur igitur ea pars qua proprie hominis uocabulum sortiti sumus, tot annis negligitur? An non absurdus faciat, qui pileū exornet, neglecto impexo ex sabbioso capite? At multo absurdius est iustum curam impendere corpori mortali, nullam habere rationem immortalitatis animi. Age si cui domi natus est pullus equinus, aut catulus aliquid generosioris indolis præ se ferens, an non protinus incipit illum ad usum fingere, quod eo magis facit ex animi sui sententia, quo sequacior

cior est ad formantis uoluntatē etas tenera. Mature do-
ces psittacum humanas sonare uoces, non ignarus quo
plus accesserit etatis, hoc minus esse docilem, admonen-
te hoc etiam uulgi prouerbio, Psittacum uetulum negli-
gere ferulam. Quale est autem uigilare in aue, ceſſare in
filio? Quid agricole non inertes? Nonne protinus plan-
tulas etiamnum teneras infitione docent exuere sylue-
ſtre ingenii, nec expectant donec iam robur induruerit?
Neq; solum cauet ne surget incurua, ne quid aliud uicij
contrahat arbuscula, uerum etiam si quid contractū est,
emēdare festinant, dū adhuc flexilis est ac fингentis se-
quitur manum. Quod autem animal aut quae planta re-
ſpōdet pōſſessorū aut agricolarum uotis & uisibus, iuriſ
noſtra industria naturam adiuuerit? Id quo fit tempeſti
uius, hoc ſuccedit felicius. Mutis quidē animantibus plus
prēſidijs ad genuinas functiones natura rerū parēs ad-
iunxit, at quoniā numinis prouidētia uni animantiū ho-
mini rationis uim indidit, maximam partem reliquit inſi-
tutioni: ut rectissime ſcripſerit quidam, primum, mediū,
ac tertiu, hoc eſt totius humanae felicitatis caput ac ſum-
mam eſſe, rectam inſtitutionem ac legitimam educatio-
nem. Quo quidem elogio Demosthenes cōmendauit re-
ctam pronunciationem, nō ille quidem falso, ſed recta in-
ſtitutio longe plus habet momenti ad ſapientiam, quam
pronunciatio ad eloquentiam. Fons enim omnis uirtutis
eſt diligens ac sancta educatio. Quemadmodum ad ſtu-
ditiam ac malitiā primū, ſecundū, ac tertiu eſt indiligēs
corruptaq; inſtitutio. Hęc præcipue nobis relictā eſt. Ea
dem eſt ratio quir ceteris animantibus natura tribue-
rit

rit celeritatem, uolatū, aciem oculorum, molē ac robur corporis, squamas, uillos, pilos, laminas, cornua, ungues, uenena quibus ex incolumentem suā tueri queāt, ex sibi de uictu prospicere, suosq; foetus educare: solum hominem mollem, nudū, ex inermem producit, uerū pro his omnibus mentem disciplinis habilem indidit, quod in hoc uno sint omnia, si quis exerceat. Et quo quodq; animal minus est aptum disciplinis, hoc plus habet natuā prudentie. Apes nō discūt condere cellulas, colligere sucum, cōficere mel. Formicæ nō instituuntur, ut æstate cōgerant in cauum, unde per hycme uictent, sed hæc oīa naturæ aguntur instinctu. At homo nec edere, nec ingredi, nec fari nouit, nisi doctus. Ergo si foetus, aut nulos, aut insipidos gignit arbor citra curam infisionis, si canis nascitur inutilis ad uenatum, si equus ineptus ad usum equestrem, si bos ineptus ad arandum, nisi nostra accesserit industria, quam efferum, quam inutile animal euadet homo, nisi studiose simul ac mature fungatur institutione? Non hic recinā tibi nulli non decantatū exemplum Lycurgi, quo producente in spectaculum, catulus alter generosi generis, sed male educatus, cucurrit ad cibum, alter ex parētibus ignavis ortus, sed diligēter educatus relicto cibo ad feram insiliij. Efficax res est natura, sed hanc uincit efficacior institutio. Vigilant homines, ut habeāt probū canem ad uenatū, ut habeant strēnum equū ad proficiscendū, atq; hic nulla uidetur præcox diligētia: cæterum ut filium habeant, qui parentibus ex ornamento sit ex usui, in quem bonā domesticarum curarum partem trāsferant, cuius pietas ingrauescēt

etc

etatem foueat fulciatq; qui generi fidum patronum, qui uxori probum coniugem, qui Reipub. fortem & utilem ciue præstet, aut nullā, aut seram adhibent curā? Cui conserunt? cui arant? cui extruunt? cui terra mariq; uenātur opes? Nonne liberis? At ista quid habent uel usus, uel decoris, si is cui hec omnia cedunt, nesciat uti? Inmodico studio paratur posseſſio, posſessoris nulla est cura. Quis parat citharam ignaro musices? Quis adornat insignē bibliothecam literarum rudi? Et tot opes parātur ei, qui rationem utendi nūquam didicit? Si ista bene educato cōparas, instrumenta uirtutum subministras, fin incalto agrestiūq; ingenio, quid aliud quām nequitiae scelerūm q; materiā suppeditasti? Quid hoc patrum genere uecordius cogitari potest? Curant ut filij corpus careat uicio, reddaturq; ad uulgares actiones habile: at animum, cuius moderatione cōstat omnis honesta actio, negligūt. Ne commemorem interim, quod opes, dignitatem, autoritatem, atq; etiā prosperā ualestinē quae tā anxijs uotis optat liberis suis, nulla res magis parithomini quām probitas & eruditio. Optant illis prædam, nec dant ue nabulum quo capiant. Quod est omnīū præstantissimū, filio dare non potes, at his artibus potes illum instruere quibus ea parantur, quae sunt optima. Nam hoc insigniter absurdum est, sed absurdius etiā quod domi canē habent uigilanter institutum, quod equum habent magna cura domitum atque edoctum, filium habent nulla honesta instructum disciplina. Agrum habent pulchre cultum, filium turpiter incultum. Domum habent ornamenti omnibus decoratam, filium habent ab omnibus ueris orna

ornamentis uacuum. Ad hec qui iuxta popularē existimationem uidentur eximie sapere, mentis excolendae sollicitudinem, aut differunt in etatem indocilem, aut prorsus non adhibent, & de fortuitis externisq; bonis mire solliciti sunt, etiam priusquam ædatur is, quem omnibus illis destinarunt dominum. Quid enim non uideamus illos facere? Vxorū utero tumente, iam tū accersit genethliacus, sciscitantur parentes, masculus ne proditurus sit a formina. Exquirunt fatum. Si astrologus ex horoscopo dixit prolem in bello fore felicem, hunc, inquiunt, dicabimus aulæ regie. Si pollicebitur dignitates ecclesiasticas, Huic, inquiunt, alicunde uenabimur Episcopen, aut Abbatiam opimam. Hunc faciemus præpositum aut decanum. Hec cura non uidetur illis præpropera, quum anteuerterat ipsam natuitatem, & præpropera uidetur quæ natorum fingendis animis adhibetur? Tam cito curas, ut filium habeas bellū ducem, aut magistratum, & non simul curas, ut ille sit dux aut magistratus Reipub. salutari? Ante tempus hoc agis, ut habeas filiū Episcopum aut Abbatem, & non hūc fingis, ut recte gerat Episcopi aut Abbatis munus? Imponis currui, nec doces gubernationē. Admoues clauo, nec curas ut discat quæ nauterum æquum est scire. Deniq; in omnibus tuis possessionibus, nihil habes eo neglectius, quo nihil habes preciosius, & cui cetera parantur omnia. Nitent agri, nitent domus, nitent uasa, uestes, ac tota supellex, belle docti sunt equi, pulchre instructi famuli, solū filij ingenii squalet, sordet, horret. Nactus es de lapide, quod aiunt, emptum mancipium, barbarum ac uile, si rude est, obseruas

uas ad quem usum sit idoneum, & ad artem aliquā mature instituis, seu culinariam, seu medicam, seu agriculturam aut dispensationis, solum filium uelut ocio natum negligis. Habebit, inquiunt, unde uiuat, uerum nō habebit, unde recte uiuat. Vulgo quo quisq; ditior est, hoc minus sollicitus est de liberorum institutione. Quid opus est, inquiūt, philosophia, satis habebūt. Imo quo plus habet, hoc opus est maioribus philosophiae præsidij. Quo maior est nauis, quoq; plus uehit mercium, hoc magis desiderat nauclerum probe doctū. Quāto studio id agūt principes, ut filijs quām amplissimam ditionē relinquāt, nec ulli minus curant eos instituendos his artibus, sine quibus non potest recte geri principatus. Quanto plus confert, qui dat bene uiuere, quām qui dat uiuere. Minimum debent liberi parentibus, à quibus progeniti sunt tantum, non etiam ad recte uiuendum educati. Celebra tur Alexandri dictum, ni Alexander esse, Diogenes esse uellem. Id optimo iure reprehēdit Plutarchus, quod hoc magis optare debuerit Diogenis philosophiā, quo latius imperabat. Sed turpior est illorum socordia, qui non modo non recte instituunt liberos, uerum etiam ad nequitiam corrumpunt. Hanc absurditatem quum Crates ille Thebanus perspiceret in hominum moribus, non iniuria minitabatur se consensurum editissimū urbis locū, & inde quām maxime uocali clamore exprobraturū ciuitati publican densitiam, huiusmodi uerbis: Que uos agit demētia miseri? Tam anxiam curam impenditis paratis pecunijs, ac possessionibus, & liberorum quibus ista paratis, nullam prorsus curam habetis? Ut uix dimicaret

diate matres sunt, quæ pariunt tantum nec educant, ita uix dimidiati patres sunt, qui quum corporibus liberorum necessaria ad luxum usque proficiant, animos eorum nullis honestis disciplinis curant expoliendos. Arbores fortasse nascuntur, licet aut steriles, aut aegresti foetu, equi nascuntur licet inutiles, at homines mihi crede, non nascuntur, sed finguntur. Prisci mortales qui nullis legibus, nullis disciplinis, uago concubitu uitam agebant in nemoribus, feræ uerius erant quam homines. Ratio facit hominem, ea locum non habet ubi affectuum arbitrio geruntur omnia. Si forma ficeret hominem, ex statu numerarentur in hominum genere. Eleganter Aristippus Craſo cuidam ac diuiti rogāti, quid utilitatis adolescenti allatura esset eruditio: uel illud inquit, ne in theatro lapis lapidi insideat. Venuste philosophus alter, Diogenes ni fallor, meridie lucernā gestas obābulabat per forū hominibus differtū, rogatus quidnam ret̄ quereret: hominem, inquit, quero. Sciebat illic esse turbā, sed pecudum, non hominum. Idem quum die quodā ex adiōre loco concionem aduocasset, clamans: Adeste homines. Iāq; frequēs hominū turba conuenisset, nec aliud ille diceret quam, Adeste hoīes, subirati quidā reclamarunt: Adsumus homines, dic si quid habes. Tum ille: Homines adesse uolo, non uos, qui nihil minus estis quam homines, eosq; baculo abegit. Profecto uerissimum est, hominem nec philosophia, nec ullis disciplinis instructum, animal esse brutis aliquanto deterius. Siquidem pecudes naturae duntaxat affectibus obsequuntur, homo nisi literis ac philosophie preceptis fermetur, in affectus

fectus plusquam ferinos rapitur. Nullum est animal effe-
ratius aut nocentius homine, quem agit ambitio, cupi-
ditas, ira, inuidia, luxus, & libido. Proinde qui filium
non ilico curat, optimis disciplinis imbuendū, nec homo
est ipse, nec hominis filius. An non abominandum osten-
tum habeatur animus humanus in corpore bestie?
quemadmodum legimus apud Circen homines uenefia
cij mutatos in leones, ursos, ac suos, ut in his tamen
esset mens hominis, quod idem sibi iſu uenisse prodidit
Apuleius, neq; non credit D. Augustinus homines uer-
ti in lupos. Quis sustineret eiusmodi monstri pater ap-
pellari? Atqui monstrum admirabilius est, beluinus ani-
mus in humano corpore, ex tali prole sibi placent
homines pleriq;, qui sibi ex populo uidentur admodum
sapere. Ursæ dicuntur massam informem adere, quam
diu lambendo fingunt formantq;: uerum nullus ursæ ca-
tulus tam informis est, quam homo nascitur rudis ani-
mo. Hunc nisi multo studio fingis ac formas, porten-
ti pater eris, non hominis. Si filius nascatur turbina-
to capite, aut gibbo deformatus, aut loripes, aut senis in
manu digitis, quam tibi displices, quam pudet non ho-
minis sed monstri patrem appellari, ceterum animi tam
prodigiosi non pudet? Quam deiicit parentum animos,
si quem pariat uxor stupidum, brutæq; mentis infantē.
Non enim sibi uidentur hominem genuisse, sed ostentū,
ex nisi legū metus obstat, neci darent quod natū est.
Incusas naturā quæ partui tuo mentē hominis negarit,
ex ipse tua negligentia facis, ut filius humanae mētis sit
expers? At pr̄st̄at esse brutæ mētis, quam improbae. Imō
b prestat

præstat esse suem quām hominē indoctū, ac malū Natu-
ra quū tibi dat filium, nihil aliud tradit, quām rudem
massam. Tuę partes sunt, obtemperantem & in omnia
sequacē materiā in optimum habitum fingere. Si cesses,
ferā habes: si aduigiles numen, ut ita loquar, habes. Sta-
tim ut nascitur infans, docilis est ad ea quae sunt homi-
nis propria. Itaq; iuxta Vergilianum oraculum, præci-
puum iam inde à teneris impende laborem. Mox tratta-
cerā dum mollissima est, finge argillam etiannū udam,
imbue liquoribus optimis testam, dum rudis est, tinge
lanam dum à fullone niuea uenit, nullisq; maculis conta-
minata. Subindicauit hoc perquam festiuiter Antisthe-
nes, qui cum filium cuiusdā suscepisset erudiendum, ro-
gatus à parente quibus rebus esset opus, libro, inquit,
nouo, stylo nouo, tabella noua. Nimirum rudem ac ua-
cuum animum requirebat philosophus. Non potes ha-
bere rudem massam. Nisi finxeris in hominis speciem, in
ferarum monstrofas effigies sua sponte deprauabitur.
Hoc officium quwm deo naturę &q; debeas, etiam si nulla
spes sit ad te redituri fructus, tuo cum animo fac repu-
tes quantum solacię, quantum utilitatis, quantum digni-
tatis parentibus adferant à teneris annis recte instituti
filij. Rursum in quæ probra, in quas calamitates paren-
tes suos cōiecerint perperam educati liberi. Nihil opus
est, ut hic tibi ex prisorum annalibus exempla proferā,
circumfer modo cogitationem tuam, per tuę ciuitatis fa-
milias, quām multa sese offerent undiq;? Scio tibi fre-
quenter audiri huiusmodi uoces: O me felicem, si orbus
essem. O me fortunatā, si nunquam peperisse. Operosa
res est

res est recte instituere liberos, fateor, sed nemo sibi na-
scitur, nemo nascitur ocio. Pater esse uoluisti, pius pater
sis oportet, Reipub. non tibi tantū genuisti, aut ut Chri-
stianus loquar, deo genuisti, non tibi. Paulus scribit ita
demum seruari foeminas, si filios generint, itaq; educa-
uerint, ut persevererēt in studio pietatis. A parētibus exi-
get deus quicquid peccauerint filij. Proinde nisi mox
bonestis rationibus instituis quod natum est, primus
in te ipsum iniurius es, qui tua negligentia hoc tibi pa-
ras, quo nihil hostis hosti posset imprecari grauius,
aut molestius. Dionysius Dionis profugi filium adole-
scētulum, in aulam pertractum delicijs effoeminauit, hoc
sciebat patri fore tristius, quam si ferro necasset. Paulō
post adolescens quum à patre reuerso ad pristinā pro-
bitatē urgeretur, è coenaculo se præcipitē dedit. Veris-
sime quidē dixit sapiēs quidam Hebræus: Filius sapiens
letificat patrem, filius stultus moestitia est matri sua. At
filius sapiens non modo uoluptati est patri suo, uerum
est ex ornamento, ex subsidio, deniq; uita est patri suo.
Contrà filius stultus ex improbus non solum moerorem
adserit parētibus, uerū ex probrū, ex egestatem, ex se-
niū præmaturū, deniq; mortē conciliat ijs, unde uiuendi
coepit exordiū. Itaq; quid attinet commemorare: quoti-
die sunt in oculis exempla ciuium, quos liberorum per-
diti mores è diuitijs ad mendicitatem redegerunt, quos
filius in crucē actus, aut filia in lupanari prostans into-
lerabili excruciat atq; exanimat ignominia. Noui ma-
gnates eximios, quibus ex multis liberis uix unus supsit
incolumis, aliis abominanda lepra quā ὑποκορίστρες

b 2 scabiem

scabiem gallicam uocant, tabefactus, funus suum circa circumfert, aliis in bibendi certamine crepuit, aliis dum noctu scortatur personatus, misere trucidatus occubuit. Quid in causa? Quoniam parentes satis habent genus se ac ditasse, educandi cura nulla est. Leges in eos se uiunt, qui foetus suos exponunt, ex in nemus aliquod obijciunt feris deuorandos. At nullum crudelius est exponendi genus, quam quod natura dedit optimis rationibus ad honesta fingendum, id beluinis affectibus tradere. Si qua Thessala mulier esset, que malis artibus posset ex conaretur filium tuū in suem aut lupum uertere, nonne putares nullum supplicium satis dignum illius scelere? At quod in illa detestaris, tu ipse studio facis. Quam immanis fera libido, quam uorax et insatibilis belua luxus, quam effera bestia temulentia, quam nocens animal ira, quam horribilis fera ambitio. His bellis exponit filiuū suum quisquis non à teneris statim unguiculis consuefacit amare quod honestum est, horrere turpitudinem: quam potius non solum obijcit illum feris, quod solent expositores maxime crudeles, uerum quod est grauius, innanē ac perniciosa beluam in suū ipsius alit exitiū. Execrabile cum primis genus hominum est, quod infantum corpus fascino uiciat, quid de parentibus sentiendū, qui sua negligentia prauaque educatione effascinant animū? Parricide uocantur, qui foetus recens natos enecant, et corpus modo perimunt, quanto maior impietas est necare mentem? Quid enim aliud est animae mors quam stultitia, quam inficitia, quam malicia? Nec minus inter omnia iniurius est in patriam, cui quod quide in ipso

ipso est tradit pestilentē ciuem. Impius est in deū, à quo prolem in hoc accepit, ut ad pietatem institueret. Hinc perspicuum est, quām nō leue, nec simplex flagitiū admittant, qui negligunt tenerae etatis institutionem. Sed his quoq; quemadmodum attigeram, peccant grauius, qui non solum non formant ad honesta, uerum etiam teneram ac rudem infantuli testulam imbuunt ad nequiciam, doceturq; uicia, priusquām norit quid sit uicum. Quomodo modestus erit uir ex fastus contemptor, qui repsit in purpura? Nondum potest prima rerum uocabula sonare, ex iam intelligit quid sit coccus, iam poscit conchylium, iam scit quid sit scarus ex nullus, ex cum fastu reijcit plebeios cibos. Qui uercundus esse poterit quām adoleuerit, qui infantulus ad impudicitiam fingi coepit? Quo pacto liberalis euadet grandis, qui tantillus nummos ex aurū mirari didicit? Qui temperabit à luxu iuuenis, cuius palatū prius corrupimus, quām mores formare coeperimus? Si quod nuper repertum est uestis genus, ut quotidie uestiariorum ars uelut olim Africa, parit aliquid noui monstri, hoc infanti addimus. Docetur sibi placere, & si tollatur, respicit iratus. Quo pacto grandis oderit temulentiam, qui infans didicit esse uinosus? Instillant illis uerba uix Alexandrinis, ut ait ille, permittenda delicijs. Huiusmodi si quid reddidit puer, osculis excipiunt. Nimirum agnoscunt suos foetus minime degeneres, quippe quām ipsorum uita nihil aliud sit quām exemplum nequicie. Haurit infans impudicas nutricum blandicias, & quasi manu, quod aiunt, fingitur lasciuis contactibus.

bus videt patrem eximie potum, audit dicenda tacens
daq; effusientē. Asidet immodicis ac parum pudicis con-
uiuijs, audit domum nimis, tibicinibus & psaltrijs, ac
saltatricibus perstrepētē. His moribus sic assuecit puer,
ut consuetudo transeat in naturam. Sunt nationes, que
pueros adhuc à matre rubentes ad ferociam militare for-
mant. Discunt tueri toruum, discunt amare ferrum, di-
scunt infligere plagam. Ab huiusmodi rudimentis tradun-
tur præceptor, & miramus, si experimur illos ad vir-
tutem indociles, qui uicia cum ipso statim lacte combi-
berunt? Sed audio quosdam ita patrocinantes suæ stulti-
tie, ut dicant hac uoluptate quæ capitur ex infantium
lasciua, nutrificationis pensari tedium. Quid ego audio?
Gratius esse potest uero parenti, si quid exprimat puer
turpiter factum, aut nequiter dictum, quam si blefa lin-
gula sententiam reddat salubrem, aut si quod aliud pie
factum imitetur? Natura peculiariter addidit etati pri-
me facilitatem imitandi, sed tamen aliquanto pronior est
ad nequiciam quam ad honestatem emulatio. An uiro
bono iucundior est turpitude, quam uirtus, præfertim in
liberis? Eluis si quid sordium inciderit in cutem infan-
tis, & tam foedis maculis inficis illius animū? Nihil au-
tem hæret tenacius, quam quod uacuis animis instilla-
tur. Quid habent obsecro, materni cordis foeminæ, quæ
infantes suos usq; ad annum penè septimum in sinu de-
tinent, ac tantum nō pro morionibus habent? Si usque-
adeò iuuat ludere, quin simias ac melitæas catellas sibi
comparant? Pueri sunt, inquiunt: sunt, sed dici uix posse
quantū habeant momenti ad totius uitæ rationem pri-
ma illa

ma illa infantiae rudimenta, quamq; durum ex intracta-
bilem formatori reddat puerum mollis illa ac dissoluta
educatio, quam indulgentiam appellant, quum re uera
sit corruptio. An non in huiusmodi matres mire compe-
teret male tractationis actio? Est enim planè ueneficij
genus, est parricidiij genus. Dant poenas legibus qui pue-
ros effascinant, aut uenenis laedunt infirma corpuscula,
quid meretur iste, quæ præcipuam infantis partem pes-
simis uenenis corrumpunt? Lewius est corpus quam ani-
mum occidere. Si puer inter strabos, balbos, aut clau-
dos educatur, contagio uiciatur corpus, uicia mentis oc-
cultius quidem, sed ex celerius trahiliunt, ex altius insi-
idunt animorum mala. Merito quidem Paulus apostolus
hoc honoris habuit Menandri uersiculo, ut in epistolis
citarit: Mores bonos colloquia corrumpunt mala. Ve-
rum is nusquam est ueracior quam in infantibus. Ari-
stoteles rogatus à quodam, quibus rationibus efficere
posset, ut equum haberet eximum, si inter generosos,
inquit, equos educetur. Quod si nos nec pietas, nec ra-
tio docere potest quātū sollicitudinis debeatur etati pri-
mae liberorū, saltem à brutis animantibus licebat exem-
plum petere. Non enim pigere debet ab his rem tanto
usui futuram discere, unde tam multa frugifera iam olim
didicit humanum genus, quādo uenarū incisionem mon-
stravit Hippopotamus, Clysteris usum quem mire pro-
bant medicorū filij monstravit Ibis avis Aegyptia. Di-
ctam herbam extrahēdis sagittis efficacē à ceruis di-
dicimus. Idem docuerunt cancrorū esum aduersus pha-
langiorū ictus esse remedio. Quin ex lacertis magistris

b 4 didici

didicimus Dictam aduersus serpentium morsus habere solatium. Est enim huic animantium generi naturale bellum aduersus serpentes, à quibus uulnerati deprehensi sunt ab ea herba medicinam petere. Chelidoniam hirundines indicauit, et herba nomen dederunt. Cunilà bulbam contra serpentium ictus utilem docuit Testudo. Mustela rutam nobis medicinis habilem commendauit. Ciconia origanū. Hederam morbis mederi monstrarunt apri. Serpentes docuere marathrum oculorū aciem iuare. Lactucis nauseam stomachi restringi draco admonuit. Excrementa humana habere uim aduersus aconitū pantheræ docuerunt, aliaq; cum his innumera remedia didicimus à brutis animantibus. Insuper et artes non parum uitæ necessarias & roscindendi orui ratione monstrarū sues. Luteas macerias temperare monstrauit hirsundo. Ne sim longior, penè nihil est ad hominum uitam utile, cuius natura nobis non proposuit in brutis exemplum, ut qui philosophiam ac disciplinas non dicterunt, saltem ab his admoneantur officij sui. An non uidemus quodq; animal foetus suos, non solum gignere, atq; educare, uerum etiam formare ad naturalem ipsum functionem? Auis nascitur ad uolatū, agnoscis huc institui fingiq; à parentibus. Videmus domi, ut feles præceant exerceantq; catulos suos, ad murium et a uicularum uenatum, quod hinc illis uictus sit. Ostendunt prædam etiamnum uitam, docent fugientem saltu prendere, deniq; docent uesci. Quid cerui? Nonne foetus editos, protinus exercent cursu, et fugam meditari docent, ad prærupta ducunt, saltumq; demonstrant,

(1) *Uenitque Rector: ydavera... hoc vobisque dicit.*

strant, quod his artibus tuti sint aduersus uenatorū infidias? Memoratur elephantorū ac delphinum in educandis minoribus ueluti pædagogica quedam disciplina. In luscinijs deprehendimus docentis ac discentis officia, majoris præcūtis, reuocantis et corrigētis, minoris reddentis et corrigentis. Quemadmodū autem canis nascitur ad uenatum, avis ad uolatum, equus ad cursum, bos ad aratum, ita homo nascitur ad philosophiā et honestas actiones: atq; ut unūquodq; animalium facilime discit id ad quod natum est, ita homo quam minimo negotio percipit uirtutis et honesti disciplinam, ad quam semina quedam uehemētia naturae uis inseuit, modo ad naturae propensionem accedat formatoris industria. Quid autem absurdius, quam animalia rationis expertia scire ac meminisse suum erga foetus officiū, hominem qui rationis prærogatiua à brutis secernit, nescire quid beat naturae, quid pietati, quid deo? Atqui brutorum genus nullum expectat à sobole sua nutricationis aut institutionis præmium, nisi forte credere libet quod ciconiae parentes etate defectos uiciissim nutriunt, humerisq; bāulant. At inter homines quoniam pietatis gratiam nulla soluit etas, quod solarium, quod decus, quod præsidium sibi parat, qui filium recte curat instituendum? Natura tibi tradit in manus nouale, uacuum quidē, sed soli felicis, tu per incuriam sinis hoc uepribus ac spinis occupari, uix ulla industria in posterum euellendis. In exiguo grano, quam ingens latet arbor, quos fructus datura si eruperit. Totus hic prouentus perit, nisi semen in scrobem mittas, nisi teneram plantulā lignescens.

tē cura foveat, nisi infitione quasi cicires? Et in planta cū
 curanda uigilas, in filio dormitas? Tota uero ratio felis-
 citatis humanae tribus potissimum rebus constat, natura
 ratione & exercitatione. Naturam appello docilitatem
 ac propensionem penitus insitam ad res honestas. Ra-
 tionem uoco doctrinam, que monitis constat & prece-
 ptis. Exercitationem dico usum eius habitus quem natu-
 ra inseuit, ratio prouexit. Natura rationem desiderat,
 exercitatio nisi ratione gubernetur, multis periculis at-
 que erroribus est obnoxia. Vehementer igitur falluntur,
 qui satis esse putant nasci: nec minus errant, qui cre-
 dunt tractandis rebus gerendisq; negocijs absq; philoso-
 phie præceptis parari sapientiam. Dic mihi quādo eu-
 det bonus cursor, qui strenue quidem currit, sed in tene-
 bris, aut uiae ignarus? Quando erit bonus gladiator, qui
 clausis oculis sursum ac deorsum uentilat gladium? Philo-
 sophie præcepta, uelut oculi sunt animi, & quodammodo
 præludent, ut uideas quid factō sit opus, quid secus.
 Multum quidem adfert utilitatis, diutinus uariarum re-
 rum usus, fateor, sed sapienti, bene agendi præceptis dili-
 genter instructo. Supputa quid fecerint, quid passi sint
 per omnem uitam, qui sibi rerum experientia qualē-
 cunq; prudentiam licet miseram compararunt, & cogita-
 num tantum malorum optes filio tuo. Adde quod philo-
 sophia, plus docet unico anno, quam annis triginta quā-
 talibet rerum experientia: & tuto docet, quum plures
 experiendo calamitosi euadant, quam prudentes, ut non
 ab re ueteres eum periculum facere dixerint, & pericli-
 dari qui rē experimento tentaret. Age si quis filium suum
 cuperet

cuperet mediceæ rei peritum esse, utrū mallet illum euoluere medicorum libros, an' experimento discere, quæ res ueneno lederet, aut remedio iuuaret? Quām infelix prudenter est, quum nauclerus crebris naufragijs didicit artem nauigandi, quum princeps aſiduis bellis ac tumultibus, malisq; publicis didicit gerere magistratum. Stultorum ista, nimioq; constans prudentia est, malo ictos deuum sapere. Magno dicit, qui errando dicit ne erret. Grauer Philippus Alexandrum filium admonuit, ut se docilem præberet Aristoteli, atq; ab eo philosophiam perdisceret, ne multa faceret, que iam ipsum fecisse pœniteret. Et tamen in Philippo prædicatur insignis ingenuij dexteritas. Quid igitur à uulgaribus expectandum censes? At ratio monstrat compendio, quid sequendum, quid uitandum sit, nec illa post acceptum malum monet, hoc male cessit, posthac caue, sed priusquām aggredire, clamat. Hoc si feceris, et infamiam, et exitium tibi parabis. Nectamus igitur hunc triplicem funiculum, ut et naturam ducat ratio, et rationem consummet exercitatio. Nam in ceteris animantibus perspicimus unumquodq; hoc facilime discere, quod cuiusq; nature maxime proprium est, quodq; primum est ad incolumentatis tutelam, ea sita est in uitandis ijs quæ molestiam aut perniciem adferunt. Hic sensus inest et plantis, non solum animantibus. Siquidem uidemus et arbores quæ maris odor spirat, aut quæ flat boreas, contrahere frondes ac ramos, et se ad auram clemetiorem explicare. Quid autem est hominis maxime proprium? Iuxta rationem uiuere, unde et rationale animal dicitur, et ab alogis secerni

cernitur. Quid autem est homini perniciosissimum? Stultitia. Nullius igitur rei docilior erit quam uirtutis, nec ab ulla re facilis disset abhorrere, quam a stultitia, si modo parentum industria naturam uacuam protinus occuperat. Sed audimus miras uulgi querimonias, quam puerorum natura proclivis sit in uicium, quam difficile pertrahatur ad amorem honesti. Preter meritum accusant naturam. Huius mali pars maxima nostro uicio debetur, qui prius corrumpimus ingenia uicijs quam tradimus uirtutes. Nec mirum, si illos parum dociles habemus ad honesta, quum iam docti sint ad nequiciam. Quis autem nescit ut priorem, ita difficiliorem esse laborem dedocendi, quam docendi? Porro trifariam hic peccat hominum uulgas, uel quia prorsus negligunt liberorum institutionem, uel quia serius incipiunt illorum animos ad philosophiam fingere, uel quia tradunt his a quibus discant dediscenda. Primi generis homines parentum indignos nomine demonstratum est, eosque minimum differre ab his qui natos infantes exponunt, meritoque plectendos legibus, que hoc quoque diligenter prescribunt, quibus rationibus sit instituenda pueritia, mox adolescentia. Secundum genus latissime patet, cum quo mihi nunc precipue instituta est pugna. Tertium bifariam peccat, partim ignorantia, partim incuria. At qui cum rarum ac turpe sit ignorare, cui equum aut fundum curandum committas, quanto turpius est nescire, cuius fidei tradas charissimam possessionum tuarum partem. Ibi discere studium est, quod parum ex te calles, consulis peritissimum quenque, hic nihil referre credis, cui com

committas filium. Non sine delectu seruis sua quibusq;
partiris munia. Exploras quem agro colendo præf-
cias, quæ rei culinarie destines, cui parteis oeconomi de-
leges. At si quis est prorsus inutilis ad omnem functio-
nem, tardus, piger, insulsus, lurco, huic committitur for-
mandus puer, et que res summum artificem desiderat,
famulorum infimo committitur. Quid læuum est, si hic
homines non habent læuan mentem? Sunt quos animus
sordidus deterret à conducendo preceptorē idoneo, et
pluris conductitur equisq; quam filij formator. Et tamen
interim indulgetur sumptuosis conuiuijs, noctu dieq; lu-
ditur dannosa alea, multum impenditur uenatibus, et
morionibus. In eo solo parci sordidiq; sunt, cuius gra-
tia poterat excusari ceteris in rebus parsimonia. Vti-
nam pauciores essent, qui plus impendunt putido scor-
to, quam educando filio. Res, inquit Satyricus, nulla mi-
noris constabit patri quam filius. Non absurdum fortas-
se fuerit hic memunisse diarij, quod olim Cratetis nomi-
ne celebrabatur. Id ad hunc refertur modum: Ponito co-
quo minas decem, medico drachmam, assentatori talenta
quinque, consilario sumum, meretrici talentum, philoso-
pho triobolum. Quid huic præpostera rationi deest, ni-
si ut addas liberorum formatori teruncium? Quanquam
arbitror hic philosophi nomine signari preceptorem.
Aristippum quum quidam nummis beatus, sed mentis
inops percontaretur, quantum mercedis posceret pro fi-
lio institudo, atq; ille poposcisset quingentas drachmas,
immensum, inquit, postulas, Ista summa seruum merca-
ri licebit. Tum philosophus per quam lepide: At nūc, in-
quit,

quit, pro uno duos es habiturus, filium officijs utilem,
 & philosophum filij doctorem. Iam si quis roget quē-
 piā, uellēt ne unius filij exitio, centum equos lucrifice
 re, si mican habeat sanæ mentis, respōdebit, opinor, ne=
 quaquam. Quis igitur pluris constat equus, quorū dili-
 gentius curatur, quam filius? Cur morio charius emitur,
 quam instituitur filius? Alibi sit locū frugalitati, hic esse
 frugalem non est parsimonia, sed dementia. Sunt rursus,
 qui non sine iudicio deligunt liberis praeceptorem, sed
 hoc precibus dant amicorum. Præteritū idoneus formā
 de pueritiae artifex, ex asciscitur inutilis, non ob aliud,
 nisi quia precibus amicorum commendatus est. Quid a=
 gis demens? In nauigando nihil moraris affectum com-
 mendantium, sed eum admoues clavo, qui gubernandæ
 nauis sit callentissimus: in filio in quo non ipse solum pe-
 riclitatur, sed pater ac mater, tota familia, atq; ipsa etiā
 Repub. nō idem adhibes iudicij laborat equus, utrum
 asciscis medicum ex amicorum commendatione, an ex cu-
 randi peritias? Quid? an tibi filius equo uilior est? Imo,
 num tu tibi uilior es equo? Hoc quum turpe sit in me-
 diocris fortune ciuibus, quanto turpius est in magnati-
 bus? Vnica coena in aleam, pessimum scopulum, impin-
 gentes, naufragiumq; facientes perdūt triginta milia, ex
 sumptum uocant, si formando filio impendant mille.
 Naturam nemo nec alij cuiquam, nec sibi dare potest,
 quanquam hic quoque nonnihil habet momenti paren-
 tum cura. Prima est, ut uir sibi deligat uxorem, bonam,
 ex bonis prognatam, probeq; educatam, tum prospera
 corporis ualeitudine. Qum enim sit arctissima corporis
 ani

animiq; cognatio, fieri non potest, quin altera res ab altera uel adiuuetur, uel laedatur. Proximum est, ut maritus si quando liberis procreandis dat operam, nec commotus, nec temulentus id faciat. Siquidem arcano quodam contagio affectiones ille transeunt in foetum. Non inscire id notasse uidetur philosophus quidam, qui quum conspiceret adolescentem parum sobrie sese gerentem. Mirum, inquit, ni pater ebrius te proseminaluit. Evidem uehementer illud quoque reor ad rem facere, si pater ac mater quum omni quidem tempore, sed praecipue conceptionis ac gestationis, mentem habeant ab omni crimine liberam, beneq; sibi conscientiam. Tali enim mente, nihil potest esse tranquillus, nihil letius. Hinc ordiri decuit educationis sollicitudinem potiusquam ab anno decimo, aut ut multi faciunt, à decimo septimo. Tertium est, ut aut mater uberibus suis alat infantem, aut si qua necessitas inciderit, quo minus id liceat, matris deligatur, corpore salubri, lacte puro, moribus probis, nec temulenta, nec rixosa, nec impudica: herent enim in adultam usque etatem, tum corporum, tum numerorum uicia ab ipsis uitae crepundijs hausta. Hic etiam referre tradunt quos infantulus habeat collacneos, quos collusores. Quartū, ut mature tradatur preceptor, è multis selecto, omnium testimonio probato, multisq; modis explorato. Semel accurate peragenda est electio. Πολυκοιρανίη damnat Homerus, ex iuxta Græcorum uetus adagium: Multitudo imperatorum Cariam perdidit. Nec paucis exitium attulit subinde mutatus medicus. Nihil inutilius, quam frequenter vul-

ture

tare præceptorem. Ad eum enim modum Penelopes tela texitur ac retexitur. At ego noui pueros, qui ante annum duodecimum, plusquam quatuordecim præceptoribus usi sunt, idq; parentum incogitantia. Nec interim cessabit cura parentum. Obseruabunt ex præceptorem, ex filium, nec sic ablegabunt ab se sollicitudinem, quemadmo dum solent omnem filiæ curam in sponsum transferre, sed subinde reuiset pater exploratus ecquid profecerit, memor illorum que grauiter simul ac prudenter dixit antiquitas, frontem occipitio priorem esse, ex nihil citius pingueum reddere equum, quam oculū domini, nec ullum letamen agrum reddere fertiliorem, quam domini uestigium. De teneris loquor, nā adultiores expedit interdum procul ab oculis submouere, que res infisionis instar, potissimum cicurare solet iuuenum ingenia. Inter egregias Pauli Aemylij uirtutes celebratur ex illud, quod quoties licebat per Reipub. negotia, filiorum suorum exercitamentis solet interesse. Nec Plinius nepos grauatus est subinde scholam inuisere ob amici cuiusdam filium, quem ad disciplinas alendum suscepérat. Iā quod de natura dictum est, non est simplex. Est enim natura speciei communis, uelut hominis natura est, ratione uti. Sed est natura huic aut illi peculiaris, ueluti quosdam mathematicis disciplinis, alios Theologiæ, hos Rhetoricæ aut Poëticæ, illos militiae natos dicas. Tanta uirauuntur ad hæc studia, ut nulla ratione possint deterreri. Aut tam uehementer abhorrent, ut citius in ignem ituri sint, quam ad inuisam disciplinam animum applicaturi. Domestice noui quēdam Græce Latineq; per pulchre do-

ctum,

etum, ex omnibus liberalibus disciplinis elegâter instru-
 etum, quem Archiepiscopus cuius benignitate alebatur
 huc literis adegerat, ut inciperet audire iuris professio-
 res, reclamante natura. Hanc querimoniam cū apud me
 exponeret, nam idem nos habebat lectus, hortatus sum
 hominem, ut suo patrono morem gereret, fore leuus
 quod initio durum esset, ac saltem aliquā temporis par-
 tem ei studio daret. Quum ille protulisset aliquot loca
 prodigiose inscitiae, quæ tamen illi semidei professores,
 magna cum autoritate traderent auditoribus, Respon-
 di, ut illa contemneret, ex quæ recte traderent, decera-
 peret: quumq; multis argumentis urgerem hominem.
 Sic, inquit, sum affectus, ut quoties ad hec studia me
 uerto, videatur ensis profodere pectus meum. Sic natos
 nō arbitror aduersus Mineruam compellendos, ne quod
 dici solet, bouem ducamus ad ceroma, asinum ad ly-
 ram. Fortassis huius propensionis licet ex in parvulis
 notas quasdam deprehendere. Sunt qui ex horoscopo
 solent talia uaticinari, quorum iudicio quantum sit tri-
 buendum, estimationem cuiq; suam liberam facio. Pro-
 fuerit tamen hoc quam primum deprehendisse, quod ea
 facilime percipimus ad quæ nos natura composuit. Nō
 arbitror prorsus esse uanum, ex oris reliquiq; corporis
 figura, habituq; coniectare indolem, certe Aristoteles
 tatus philosophus, nō grauatus est πρὶ τῷ φυσιογνω-
 μῷ uolumen ædere, nec indoctum, nec inelaboratum.
 Ut cōmodior est nauigatio, quū ex æstus fuit ex uen-
 tus, ita facilius instituimur his, ad quæ nos inclinat in-
 genij propensio. Vergilius cōmonstrauit notas, quibus

c coll.

colligere possis bouem aratro idoneum, aut uaccam ar=mento propagando aptam. Optima toruæ forma bouis. Docet, quibus signis deprehendas pullum equinum olympicis certaminibus utilem futurum. Continuo pecoris generosi pullus in aruis Ingreditur, &c. Nam carmen agnoscis. Errant qui credunt naturam nullas homini notas addidisse, quibus colligi posse ingenium, pecant uero, qui datas non obseruant. Tametsi meo quidem iudicio, uix illa est disciplina, ad quam hominis ingenium non docile nascatur, si præceptionibus & exercitatione institerimus. Quid enim non discat homo, quum elephantus institutione fiat funambulus, saltator rufus, & morio asinus? Quemadmodum igitur naturam nisi sua in manu est, ita docuimus esse, in quo naturam aliquo pacto ualeamus adiuuare. Ceteru ratio ex exercitatio tota nostræ est industrie. Quantum ualeat ratio, potissimum illud declarat, quod quotidie uidentur machinis & arte tolli onera, quæ nullis alioqui uiribus moueri poterant. Quantum autem habeat momenti exercitatio, satis arguit illud cum primis celebre prisci sapientis dictum, quod curæ ac meditationi tribuit omnia. Ac ratio quidem requirit docilitatem, exercitatio laborem. Sed labor, inquietum, non conuenit ætati teneræ, docilitas uero quæ tandem potest esse in pueris, qui uix dum sciunt se homines esse? Ad utrumq; paucis respondebo, qui conuenit, ut etas habeatur indocilis ad literas, que iam moribus fingendis apta est; Verum ut sunt uirtutu rudimenta, ita sunt & disciplinarum. Habet philosophia suam infantiam, habet adolescentiam, habet maturitatē.

Equi

Equinus pullus, qui iam tum præ se fert generosam in= dolem, non statim urgetur lupatis, ut armatum sessorem tergo uehat, molibus exercitamentis discit meditari bel= lum. Vitulus aratro destinatus, non protinus oneratur ueris iugis, nec urgetur acribus stimulis, sed ut eleganter docuit Maro, Primum laxos tenui de uimine cyclos Ceruici subnectunt, dehinc ubi libera colla Seruitio as= fuerint, ipsis è torquibus aptos iungunt pares, et cogunt gradum conferre uiuencos.

*Atq; illis iam sèpe rotæ ducuntur inanes,
Per terram, et summo uestigia puluere signant.
Post ualido nitens sub pondere faginus axis
Instrepit, et iunctos temo trahit æreus orbès.*

Agricolæ norunt habere rationē etatis in bubis, et exercitia pro modo uiri attemperant, multo diligenter id faciēdū est in liberis instituēdis. Ad hæc naturæ prouidentia habilitatē quandā peculiariter inseuit parvulis. Infans nōdū idoneus est cui prælegas officia Ciceronis, aut Aristotelis ethica, aut Senecæ Plutarchi ue Morales libellos, aut epistolas Pauli, fateor, sed interim si quid indecore facit in cōuiuio, monetur, et monitus se cōponit ad cōmonstratū exemplar. Dicitur in templū, discit flectere genua, cōponere manūsculas, aperire caput, totumq; corporis habitū ad religionem formare, iubetur filere quū peraguntur mysteria, ad altare uertere oculos. Hæc modestiæ pietatisq; rudimenta prius discit puer quam fari nouit, que quoniam inherent in grandiorē etatem, nonnullum profectum adferunt ad ueram reli= gionem. Primum nato nullum discriben est inter paren

c 2 tes

tes & alienos. Mox matrē discit agnoscere, deinde patrem. Eodem paulatim discit & reuereri, discit obtemperare, discit anare. Dedisit iracundiam, dedisit uindictam, iussus osculum dare, cui indagnabatur, dedisit importunam garrulitatem. Discit assurgere seni, discit aperire caput ad imaginem crucifixi. Qui putant haec qualiacung; uirtutis elementa nihil habere momenti ad probitatem, uehementer errant mea quidem sententia. Adolescens quidam reprehensus à Platone quod aleam luderet, questus est, quod ob tantillum malum tam acriter obiurgaretur. Tum Plato, ut leue malum sit, inquit, ludere aleam, graue tamen malū est assueuisse. Ut igitur paruis malis assueuisse magnum est malum, ita pusillis bonis assueuisse, magnum est bonum. Atque harum rerum hoc docilior est etas illa tenera, quod suapte natura flexilis est in omnem habitum, quod nōdum ullis uicijs est occupata, quod gaudet etiā imitari, si quid praeceras. Quae ut uulgo uicijs assuescit, priusquam intelligit, quid sit uicium, ita pari fere facilitate uirtutibus poterit assuescere. Optimis autem rebus, optimum est protinus assuescere. Durat is habitus in quem uacuum ac tenerū animum fixeris. Naturā expellas furca, tamen usq; recurrat, scripsit Flaccus. Scripsit, & quidē uerissime, sed scripsit de arbore adulta. Proinde cordatus agricola statim plantulā in eam speciem componit, quā in arbo re uult esse perpetuā. Protinus in naturā uertitur, quod omnium primum infuderis. Argilla nimium uida, formā impressam nō retinet, cera tam mollis esse potest, ut inhabilis sit fingenti. At uix illa est etas tam tenera, que discipli

discipline capax nō sit. Nulla, inquit Seneca, etas ad di-
scendum sera est, hoc an uerion sit nescio, certe grādior
etas ad quædam discenda dura est. Illud extra cōtrouer-
siam est, nullam esse etatē tam recentem, ut nō sit ha-
bilis institutioni, præsertim earum rerum ad quas natu-
ra composuit hominem. Nam in hoc ipsum infantie pe-
cularem quandam, ut modo dicebam, imitandi libidinē
addidit, ut quicquid audierint uiderint ue, gestiant emu-
lari, gaudeantq; si quid sibi uidentur assequuti, Simios
quosdam esse dicas. Atq; hinc prima ingenij docilita-
tisq; coniectura. Proinde ut natus est homo statim mo-
ribus descendis aptus est. Mox ut fari cōperit, habilis
fit ad institutionem literarum. Cuius prior est ratio, ad
id protinus addita est docilitas. Siquidē eruditio qua-
quam infinitas habet commoditates, tamen nisi uirtuti
famuletur, plus adserit mali quam boni. Merito reiecta
est à doctis illorum sententia, qui putauerunt etatē,
minorem septem annis, non admouendam literis, cuius
sententiae autorem plurimi crediderunt Hesiodum, quan-
quam Aristophanes grammaticus ὑπέδικας, quo in
opere id prodition est, negat esse Hesiodi. Insignis ta-
men scriptor fuerit oportet, qui talem edidit librum,
ut eruditis etiam Hesiodum parentem referre uidere-
tur. Verum ut citra controuersiam fuerit Hesiodi, nul-
lius hominis autoritas tantum apud nos ualere debet,
ut pīgeat meliora sequi, si quis attulerit. Tamē si qui-
cunq; fuerūt huius sententiae, non hoc senserunt, totum
hoc temporis usq; ad annū septimum, oportere uacare
omni cura institutionis, sed ante id etatis pueros nō esse

uexandos labore studiorum, in quibus omnino tedia
quædam deuoranda sunt, uelut ediscendi, reddendi, scri-
bendiq;. Vix enim reperias ullum tam docile tamq; tra-
stabile ac sequax ingenium, quod his rebus prorsum
absq; stimulis assuecat. Chrysippus nutricibus tribuit
triennium, non ut interim uacetur ab institutione pre-
fertim morum & lingue, sed ut blandioribus rationibus
uirtuti literisq; preparetur infans, uel à nutricibus uel
à parentibus, quorum mores plurimum adferre momen-
ti ad formandos pueros extra controuersiam est. Quo-
niam autem prima pueroru*m* institutio est, ut discant ex-
planate emendatcq; loqui, hic olim nutrices, ac paren-
tes non mediocri erant adiumento. Hoc initium non
modo plurimum habet momenti ad eloquentiam, uerū
etiam ad iudicandum, & ad omnium disciplinarum co-
gnitionem. Linguarum enim inscitia disciplinas uniuer-
sas aut extinxit, aut deprauauit, atq; adeo Theologiam
quoq;, Medicinam, & Iuris prudentiam. Admirabilis
fuit olim Gracchoru*m* eloquentia, sed quā bona ex parte
Corneliae matri debebant, M. Tullij iudicio Apparet,
inquit, filios non tam in gremio educatos, quā in ser-
mone matris: gremiu*m* igitur illis maternum, erat prima
schola. Quin & Leta Caij patris elegantiam dictione
referebat. Quid mirū: Rudis adhuc inter parentis com-
plexus illius sermone tincta fuerat. Idē euenit huius dua-
bus sororibus Mutiae & Liciniæ Caij neptibus. Nomina-
natim autem laudatur Liciniæ in dicēdo elegantia, que
fuit L. Craſi filia, Scipionis cuiusdam, ni fallor, cōiunx.
Quid multis? Tota domus, totaq; gens usq; ad nepotes
ac pro

ac pronepotes s^ep^e retulit maiorū in dicendo elegan-
tiam. Q. Hortensij filia sic exprimebat paternam elo-
quentiam, ut olim extiterit illius oratio apud triumui-
ros habita, non tantū, ut ait Fabius, in sexus honorem.
Ad emendate uero loquendum non leue momentum ha-
bent ex nutrices, ex pedagogi, ex collusores pueri.
Quod enim ad linguas attinet, tāta est illius etatis doc-
litas, ut intra paucos mēses puer Germanus discat Gal-
lice, idq; insciens ex aliud agens, nec unquā ea res suc-
cedit felicius, quam annis quam maxime rudibus. Quod
si id sit in lingua barbara ex anormi, que aliud scribit
quam sonat, queq; suos habet stridores ex uoces uix
humanas, quanto id facilius fuerit in lingua Græca seu
Latina? Mithridates rex duas & uiginti linguas sic cal-
luisse legitur, ut cuiq; genti citra interpretem propria
lingua ius redderet. Themistocles intra anni spatiū
Persicam linguam perdidicit, quo commodius cū rege
colloqueretur. Si hoc pr^astat adulta etas, quid non spe-
randum à puerō? Totū autem hoc negotiū duabus po-
tissimum rebus constat, memoria ex imitatione. Imitan-
di naturale quoddam studiū in pueris esse iam ante do-
cuimus, memoriam porrò uel tenacissimam tribuūt pue-
ritiae uiri sapientissimi. Quod si diffidimus illorum auto-
ritati, abunde nobis fidem facit ipsa rerum experientia.
Quæ pueri uidimus sic hærēt animo, quasi heri uidisse-
mus. ~~admodum~~ die legimus senes, post biduū si denuo le-
gam, noua uidentur. Ad hec, quotū quemq; uidemus,
cui multo feliciter successerit linguarum cognitio? Et si
q^uibus successit cognitio, sonus ex pronūciatio germana

aut nullis, aut quām paucissimis cōtingit. Neq; enim ad communem regulam uocanda sunt illa rarissima exempla. Nec ideo debemus pueros post exactum annū decimunsexum, ad linguarum cognitionē uocare, quod Cato senior sero didicit latinas literas, græcas uero scriptuagesimum agens annum. At Uticensis ille Cato superiore multo tum doctior, tum eloquentior, puer adhæsit pædagogo Sarpedoni. Atq; hic eò magis aduigelandū, quod etas illa, quoniā naturæ sensu potius quām iudicio ducitur, pari facilitate, aut fortassis maiore imbibit praua atq; recta. Quin ex recta facilius ueniunt in obliuionem, quām dediscimus uicioſa. Deprehenderunt hoc, ex admirati sunt ethnicorum philosophi: nec potuere causam peruestigare, quam Christiana philosphia nobis prodidit, que docet hanc ad mala pronitatem infedisse nobis ex humanæ gentis principe Adamo. Quod ut falso esse non potest, ita uerissimum est maximam huius mali partem manare ex impuro coniunctu prauaq; educatione, presertim etatis teneræ, ex in omnia flexilis. Proditum est literis Alexandrum Magnū à Leonide pædagogo uicia quedam imbibisse puerum, quæ nec adultum iam atque etiam imperio sublimem deseruerunt. Proinde quandiu apud latinos uiguit illa prisca morum integritas, puerilis etas non committebatur mercenario formatori, sed ab ipsis parentibus ex agnatis instituebatur, uelut à patruis, auunculis, ex auis, autore Plutarcho. Existimabant enim hoc ad gentis deus in primis pertinere, si quām plurimos haberet eruditio liberali præstātes, quū hodie tota ferè nobilitas sit in

fit in pictis sculptisq; st̄ematis, choreis, uenatu, & alea. Primus omnium Sp. Carbilius, homo libertinæ conditio-
nis, cuius patronus Carbilius omnium primus induxit
exemplum diuortij, traditur aperuisse scholam literariā.
Antehac hoc præcipuum habebatur pietatis officium, si
cognatos quisq; suos ad uirtutem & eruditionem insi-
tueret. Nunc unū hoc cura eſt, ut puero queratur uxor
bene dotata. Hoc perfecto, credunt se nihil iam debere
pietati. Verum ut res humanae prone ſunt in deterius,
delitiæ persuaderunt, ut hoc muneris pædagogo domesti-
co committeretur, & ingenuis seruo tradebatur inſti-
tuendus. Qua quidem in re ſi deelelus habebatur, hoc
minus erat periculi, quod formator non ſolum in oculis
parentum uiueret, ſed in illorum eſſet potestate, ſi quid
delinqueret. Qui erant cordatiſimi, aut emebant seruos
literatos, aut curabant literis erudiendos, ut liberorum
ſuorum pueritiae formanda präficerent. At quanto con-
ſultius ſi ipſi parentes in hoc literas diſcerent, ut libe-
ros ſuos doceant. Hac certe ratione duplex eſſet utilitas,
quemadmodum duplex commoditas eſt, ſi Episcopus ſe-
pium uirum präbeat quo poſſit quāplurimos ad pietu-
tis ſtudium inflammare. Non omnibus uacat inquies, &
piget tanti laboris. Sed agedum uir präclare, reputemus
nobiscum, quantum temporis nobis pereat alea, cōpo-
tionibus, ſpectaculis, & morionibus, et pudebit opinor,
caſari deeffe ocium ei rei, que cæteris omnibus omiſſis
erat agēda. Sufficit ad omnia munia tempus, ſi qua de-
cet frugalitate diſpēſetur. Nobis uero breuis eſt dies, cu-
ius maiorem partem perdimus. Iam illud expende, quan-

ta temporis portio datur amicorum friuolis interdū ne-
gocijs. Si minus licet omnibus morem genere, priores sa-
nè parteis debentur liberis. Quid autem laboris refugi-
mus, ut liberis luculentum patrimonium, pulchreq; con-
stabilitum relinquamus, ut illis paremus quod his omni-
bus præstantius est, piget capere laborem, præfertim
quum naturæ pietas, & profectus eorum qui nobis sunt
charissimi, edulcet omnem molestiam? Id ni esset quando
matres ferrent tam longa gestationis & nutricionis
tædia? Leuiter amat filium, quem piget erudire filium.
Verum instituendi ratio fuit hoc nomine facilior pri-
scis, quod eadem esset lingua literas callentium, & impe-
rite multitudinis, nisi quod eruditus emendatius, elegan-
tius, prudentius & copiosius dicebant. Fateor, ac pluri-
mum compendij foret ad eruditionem, si idem maneret
hodie. Nec defuerunt qui priscum exemplum reuocare
conati sunt uelut apud Phryssios Canterij, apud Hispa-
nos Elisabetha regina Ferdinandi uxor, è cuius familia
complures prodiere foeminae eruditione iuxta ac pietate
mirabiles. Apud Anglos uir clarissimus Thomas Mo-
rus quem licet regijs negocijs occupatissimum, non pi-
get uxori filiabus ac filio præstare præceptorē, primum
ad pietatem, mox ad utriusq; literaturæ peritiam. Id cer-
te curandum erat, in his quos eruditioni destinauimus.
Nec est periculum, ne populi linguam ignorent, eam
perdiscent uelint nolint hominum commercio. Quod
si nemo sit domi qui literas norit, statim ascensandus est
artifex, sed exploratus tum moribus, tum eruditione:
Stultum est in filio uelut in Cære, quod aiunt, pericu-
lum

lum facere, sciat ne literas, & sit ne vir probus quem
 adhibuisti. In rebus alijs sit uenia dormitanti, hic argus
 sis oportet, atque oculis omnibus aduigilandum est. In
 bello, aiunt, bis peccare non licet, hic ne semel quidem
 peccare fas est. Porro quo maturius puer tradetur for-
 matori, hoc felicius succedet institutio. Hic scio causari Secunda pro
 quosdam, esse periculum ne studiorum labor reddat te= positio con-
 neri corpusculi ualetudinem imbecilliores. Hic respon= futanda.
 dere poteram, etiamsi quid decederet robori corporis,
 hoc incōmodi belli pēsari tam eximijs animi bonis. Nec
 enim athletam fingimus, sed philosophum, sed Reipub.
 gubernatorem, cui satis est adesse prosperam ualetudi-
 nem, etiamsi nō adfit Milonis robur. Fateor tamen nō=
 nihil indulgendum etati, quo uegetior euadat, uerū mul-
 ti stulte metuunt suis infantibus à literis, qui non metuūt
 multo grauius periculum ab immido cibo, quo non mi-
 nus laeduntur ingenia parvolorum, quam corpora, ab
 eduliorū potūs ue generibus, quae non congruunt etati.
 Admouent infanteis suos uarijs ac prolixis conuiuijs,
 nonnunquam & in multam noctem productis, explent il-
 los salsis & calidis usque ad uomitum interdum. Strin-
 gunt & onerant tenera corpuscula uestibus incommo-
 dis ad ostentationem, quemadmodum nonnulli simios or-
 nant humano cultu, alijsq; modis effeminat liberos su-
 os, nec usquam tenerius metuitur illorum ualetudini,
 quam quum literis, hoc est de re maxime omnium salu-
 tifera, necessariaq; coeptum est agi. Quod de ualetudine
 dictum est, idem pertinet ad formae curam, quam ut
 fateor non omnino negligendam, ita nimis anxie cu-
 rari

rari parum uiro dignum est. Nec huic aliunde morosius metuimus, quam à studijs quū ea lōge magis corrumpatur, ingurgitatione, temulentia, intemperatus uigilijs, pugnis ac uulneribus, postremo scelerata scabie, quam uix quisquam effugit adolescens intemperantius uiuens. Ab his rebus potius arceant liberos suos quam à literis, qui tam misere metuunt illorum ualeitudini ac forme. Quan-
 quam id quoque nostra cura prouideri potest, ut quam minimum sit laboris ac proinde minimam dispensij. Id fiet si nec multa, nec quelibet inculcentur teneris, sed optima tantum ex etati congrua, quæ iucundis capitur potius quam subtilibus. Deinde blanda quedam tradendi ratio faciet, ut ludus uideatur non labor. Hic enim lessin-
 nocinj quibusdam fallenda est ætas illa, que nondū in-
 telligere potest quantum fructus, quantum dignitatis, quā-
 tum uoluptatis in posterum sint allatur æ literæ. Id par-
 tim præstabit formatoris lenitas, comitasq; partim ex
 ingenium ac solertia qua uarias arteis communiscetur,
 quibus puero reddat iucundas literas, ex à sensu laboris
 auocet. Nihil enim est inutilius, quam quum præcepto-
 ris mores efficiunt, ut prius odisse incipient studia, quam
 intelligere possint quare sint amanda. Primus discendi
 gradus est præceptoris amor. Progressu temporis fiet,
 ut puer qui prius literas amare cœperat, propter docto-
 rem, post doctorem amet propter literas. Nam quemadmodum munera pleraque uel hoc nomine gratissima
 sunt, quod ab his proficiscantur quos egregie charos
 habemus: ita literæ, quibus nondum iudicio placere pos-
 sunt, his tamen doctoris affectu commendantur. Recti-
 sime

sime dictum est ab Isocrate, eum plurimum discere, qui
 descendit cupidus est. Libet autem ab his discimus quos
 diligimus. Sunt uero quidam tam inamoeris moribus, ut
 nec ab uxoribus amari queant, toruo uultu, tetrico con-
 uictu, irati uidentur etiam tum quum sunt propicij, nihil
 possunt blande dicere, uix etiā arridere ridentibus, dicas
 planè gratijs iratis natos. Hos uix idoneos iudico, qui
 bus equos indomitos formandos committas, tantum ab-
 est, ut imbecillem ac penè lactantem ætatem illis proden-
 dam existimem. At hoc hominum genus quidam uel ma-
 xime credunt admoendum formandæ prime ætati, dum
 toruitatem putant esse sanctitatem. Atqui non tutò fron-
 ti creditur, sub illa tertica persona sè penumero latent
 euiratijsimi mores, nec inter pudicos commemorandum
 est, ad quæ dedecora nonnunquam illi carnifex terro-
 re puerorum abutantur. Ne parentes quidem recte pos-
 sunt educare liberos, si tantum metuantur. Prima cura
 est amari, paulatim succedit non terror, sed liberalis
 quedam reverentia, quæ plus habet ponderis quam me-
 tus. Quam igitur belle prospicitur his pueris, qui uix
 dum quadrimi mittuntur in ludū literariorum, ubi præsi-
 det præceptor ignotus, agrestis, ac moribus parum so-
 brijs, interdum ne cerebri quidem sani, frequenter lu-
 naticus, aut morbo comitali obnoxius, aut lepræ, quam
 nunc uulgas scabiem gallicam appellat. Neminem enim
 hodie tam abiectum, tam inutilem, tam nullius rei ui-
 demus, quem uulgas non existimet idoneum moderan-
 do ludo literario. Atque illi se regnum nactos rati,
 mirum quam ferociant, quod habeant imperium, non
 in

in beluas, ut inquit Comicus, sed in eam etatem, quam oportebat omni lenitate foueri. Dicas non esse scholam, sed carnificinam, præter crepitum ferularum, præter uirgarum strepitum, præter ciulatus ac singultus, præter atroces minas nihil illuc auditur. Quid aliud hinc dicant pueri, quam odisse literas? Hoc odium ubi semel infudit teneris animis, etiam grandes facti abhorrent à studijs. Multo etiam stultius est, quod quidam filios suos mittunt ad ebriosam mulierculam, ut legendi scribendiq; parent facultatem. Præter naturam est fœminam in masculos habere imperium, tum nihil immutius eo se xu, si qua ira commouerit animum, ex incalescit facilli me, uix autem conquiescit, nisi vindicta satiata. *Lammas* monstrosa, ex fructum, inde uocant *collagia*, quæstum bine auxupant, ex in hubebris suis exudim interdum mactem, per homines fratres parvulos dotos, & scutatae petrum dolles, ut iam denunciallo effe padicos ex cor detor. Hoc institutionis genus utcunque probant alij, me quidem autore nullus id faciet, quisquis cupiet suum puerum liberaliter educatum. Oportet scholam aut nullam esse, aut publicam. Compendiarium quidem hoc est, quod uulgo fit. Facilius enim plures ab uno metu coguntur, quam unus ab uno liberaliter instituitur. At qui non magnum est asinis aut bubus imperare, liberos liberaliter instituere, ut difficillimum est, ita pulcherrimum. Tyrannicum est metu premere ciues, benevolentia, moderatione, prudentiaq; continere in officio regium est. Diogenes quū ab Aeginetis captus produceretur uenū, præco rogauit hominem, quo titulo uellet commendari.

ri emptoribus. Dic, inquit, si quis uelit mercari homi-
nem, qui sciat imperare liberis. Ad hoc insolitum præco-
nium risere multi. Quidam cui liberi parvuli erant do-
mi, congressus est cum philosopho, sciret ne uere quod
profiteretur. Ait se scire. Breui colloquio sensit non esse
uulgarem quempiam, sed sub sordido pallio præclaram
latere sapientiam. Emptum duxit domū suam, eiq; libe-
ros suos formandos commisit. Gallis literatoribus secun-
dum Scotos nihil est plagosius. Hi moniti respondere so-
lent, eam nationem, quemadmodum de Phrygia dictum
est, non nisi plagis emendari. Hoc an uerum sit, alij ui-
derint, fateor tamen non nihil in natione discriminis esse,
sed multo magis in singulorum ingeniorum proprieta-
te. Quosdam occidas citius, quam uerberibus emedes,
at eosdem benevolentia blandisq; monitis ducas quocun-
que uelis. Hac indole fateor me puerum fuisse, quemq;
præceptor cui præ ceteris eram charus, quod diceret se
nescio quid magnæ spei de me concipere, magis aduigia-
laret, uelletq; tandem experiri, quam essem uirgarū pa-
tiens, obiecit commissum, de quo nec somniarā unquam,
ac cecidit. Ea res omnem studiorum amorem mihi ex-
cusavit, adeoq; deiecit puerilem animum, ut minimum ab-
fuerit quin dolore contabescerem, certe moerorem eum
exceptit febris quartana: Is ubi tandem intellexit errorem
suum, deplorabat apud amicos: Illud, inquit, ingeniuū pe-
nè prius perdiderā quam nossem. Erat enim uir nec stu-
pidus, nec indoctus, nec, ut, arbitror, malus. Resipuit il-
le, sed mihi sero. Iam hinc mihi cōiecta uir egregie, quam
multa felicissima ingenia perdant isti carnifices indocti,

sed

sed doctrinæ persuasione tumidi, morosi, uinolenti, truces, et uel animi gratia cædentes, nimirum ingenio tam truculento, ut ex alieno cruciatu capiant uoluptatē. Hoc genus homines lanios aut carnifices esse decuit, nō pueritiae formatores. Nec ulli crudelius excarnificant pueros, quām qui nihil habent, quod illos doceant. Hi quid agant in scholis, nisi ut plagis ac iurgijs diē extrahant? Noui Theologum quendam, et quidem domestice, maximū nominis, cuius animo nulla crudelitas satis faciebat in discipulos, quū magistros haberet strenue plagosos. Id existimabat unice et ad deiiciendam ingeniiorum ferociam, et ad edomandam etatis lasciuiam pertinere. Nunquam agitabat conuiuum apud gregem suum, nisi quemadmodum Comœdiae exēt in lētam catastrophen, ita post cibum sumptū, unus aut alter protraheretur uirgis lacerandus, et interim fæwiebat et in immeritos, nimirum ut assuererent plagis. Ipse quondam astiti proximus, quum à prandio ex more puerum euocarat, annos natum, ut opinor, decem. Recens autem à matre uenerat in eum gregem. Præfatus est, illi matrem esse cum primis piam foeminam, ab ea sibi puerum studiose commendatum, mox ut haberet occasionem cædendi coepit obijcere nescio quid ferocia, quū nihil minus præ se ferret puer, et innuit illi cui collegij præfecturam commiserat, huic ex re satelles erat cognomē, ut cæderet, ille protinus deiectum puerum, ita cæcidit quasi sacrilegium commisifset. Theologus semel atque iterum interpellauit, satis est, satis est. At carnifex ille feruore siardus, peregit suam carnificinam penè usq; ad pueri syncopen. Mox Theologus

logus uersus ad nos, nihil cōmeruit, inquit, sed erat hu-
miliandus, nam hoc uerbo est usus; *Quis unquam ad eū*
modum erudiuit mancipium, imò quis asinum? Genero-
sus equus melius popysmate & palpo domatur, quām
scutica aut calcaribus. *Quem si durius tractes, fit refras-*
etarius, fit calcitro, fit mordax, fit retrogradus. Bos, si
nimium urgeas stimulis, iugum excutit, & stimulatorē
impedit. Sic tractandum est generosum ingenium, quē-
admodum tractatur leonis catulus. Elephantos sola do-
mat ars, non violentia, nec ullum animal tam ferum est,
quod non mansuetat officio: nec ullum tam cicur, quod
immodica scuītia non exasperetur. Seruile est metu mali
castigari, at qui publica consuetudo filios appellat libe-
ros, quod hos deceat liberalis educatio, seruili multum
dissimilis: tametsi qui sapiunt hoc agunt potius, ut serui
lenitate ac beneficijs exuant mancipij capillum, memo-
res & illos esse homines non beluas. Commemorantur
admiranda exempla seruorum in dominos, quos profec-
to tales non comperissent, si tantum uerberibus sub-
egissent. Seruus si sanabilis est ingenij, melius emenda-
tur monitis, pudore & officij, quām plagis: si insanabi-
lis, ad extremam malitiā indurescit, & aut fuga compi-
lat herum, aut necem illius aliqua molitur arte. Nōnun-
quam & sue uitæ iactura domini scuītia ulciscitur. Nullum
autē animal formidabilius, quām homo, quē atrox
iniuria docuit sue salutis contemptum, Proinde quod
prouerbio iactatur unumquenq; tot hostes habere quot
seruos, si uerum est, dominorum iniuitati potissimum
arbitror imputandum. Artis enim est, non fortunæ im-

d perare

perare seruis. Quod si cordatores heri id dant operā, ut seruos ita habeāt ut seruiant liberaliter, malintq; pro seruis habere libertos: quām absurdum est ē natura libe ris educatione reddere seruos? Nec ab re Comicus ille senex putat multum interesse inter patrē ac dominum. Dominus tantum cogit, pater pudore ac liberalitate cōsuefacit filiū, ut sua sponte recte faciat, potius quām a lieno metu, præsens atq; absens sit idem, hoc qui nequit inqt, fateatur se nescire imperare liberis. Atqui plus alia quanto discriminis esse debet, inter patrem ac dominū, quām inter regem ac tyrannum. Tyrannum submouemus à republica, et uel filijs tyrānos asciscimus, uel ipsi in eos tyrannidē exercemus. Quanquam in totum hoc uile seruitutis nomē ē uita Christianorum sublatum esse oportuit. Beatus Paulus Onesimum Philemoni commendat, nō iam ut seruum, sed ut pro seruo fratrem charif simum. Et Ephesij scribēs monet heros, ut in seruos remittant austoritatem ac munas, memores se potius con seruos esse quām dominos, quod utriq; communem do minum habeant in cœlis, qui non minus poenias sumptu rus est de dominis si quid peccent, quām de seruis. Apostolus nec minaces uult esse dominos, nedum plagosos: nō enim dicit, remittentes flagra, sed, remittētes munas: et nos liberos nostros nihil aliud quām cœdi uolumus, quod uix triremū præfeti, aut piratæ faciunt in remiges. De liberis autē quid præcipit idē Apostolus? Adeo non uult illos cœdi seruiliter, ut et à monitis atq; obiur gatione iubeat abesse sœ uitiam et amarulentiam. Vos, inquit, patres nolite ad iracūdiam prouocare filios ue stros

stros, sed educate illos in disciplina et correptione domini. Qualis autem sit disciplina domini, facile perspicet, qui considerarit, qua lenitate, qua misericordia, qua charitate dominus Iesus erudierit, tulerit, fuerit, ac paulatim prouexerit discipulos suos. Humanae leges patriam potestatem temperant, eadem et scrupuli in heros permitunt actionem male tractationis, et unde haec immanitas inter Christianos? Olim Auxon quidam eques Romanus filium dum uirgis emendat immoderatus, occidit. Ea indignitas adeo commovit populum, ut hominem in forum protractum parentes ac liberi stolis confoderent, nihil reveriti dignitatem equestrem, quem Octavius Augustus aegre periculo subduxit. At quam multos hodie uidemus Auxones, qui saevitia plagarum, ledunt puerorum ualitudinem, eluscant eos, debilitant, nec raro necant. Virgæ nihil faciunt ad quorundam saevitiam, inuersis uirgis cedunt manubrio, colaphos ac pugnos impingunt teneris, aut quicquid forte proximum est arripunt et illidunt. Narrant Iurisperitorum literæ sutorē quendam dum discipulo ligneam calceorum formā impingit in occipitum, alterum oculum excusisse, ab quo id factum poenas dedisse legibus. Quid de illis dicendum est, qui cruciatibus addunt abominandam contumeliam? Nunquam eram crediturus, nisi et puerū et crudelitatis autorem de proximo nossem. Puerum annos uix dum duodecim natum, cuius honestissimi parentes fuerant de preceptore bene meriti, tam immanibus modis tractarunt, ut uix Maxentius aut Phalaris ullus posset crudelius. Stercoris humani tantam vim impegerunt

d 2 in os

in os parvuli, ut expuere non posset, sed bonam partem deuorare cogeretur. Quis tyrannus unquam adhibuit hoc contumeliae genus? τασσά μετρίτασσε, habet Græcum proverbiū. Post tales epulas exerceatur imperiū. Puer nudus funibus sub alas immis̄is suspenditur, ut infame furti supplicium representarent, quo nō aliud apud Germanos execrabilius. Mox in pensilem sœvitur undiq; uirgis, prop̄modū usq; ad necem. Nam quo magis inficiabatur puer, quod nō cōmis̄erat, hoc magis intendebatur carnificina. Adde iam ipsum torrorem, penè supplicio formidabiliorē, oculi uiperini, os angustū et corrugatum, uox acuta qualis fertur umbrarum, facies lurida, caput uertiginosum, mīnæ et conuicia, que illi suggerebat splendida bilis, Tisiphonen quampliam dices. Quid consequitum est? Mox puerum à supplicijs excipit morbus, magno et mentis et uitæ periculo. Ibi carnifex ultro occupat expositulationem, scribit patri, quāmprimum abducat filium suum, se medicinam omnē consumpsisse frustra in deploratum puerum. Vbi corporis morbus utcunq; remedij depulsus est, tamen animus adhuc sic erat attonitus, ut metueremus ne nūquam ad pristinum mētis uigorem redditurus esset. Neq; hæc fuit unius diei sœvitia, quandiu uixit apud illum puellus, nullus præteribat dics, quo non semel atq; iterum crudeliter uapularet. Scio, iam dudum suspicare lector, enorme fuisse cōmissum, cui tam atrox adhibita est medicina. Di cam paucis. Reperti sunt et illius qui cæsus est et aliorum duorum libri atramento conspurcati, uestes consisse, et caligæ excrementis humanis contaminatae. Is qui

qui lusum hūc ludebat, puer erat ad omne scelus natus,
 qui post alijs facinoribus fidem fecit priorum, insani do-
 citoris ex sorore nepos ~~tan~~ tum præludēs ad ea quæ fa-
 cere solent in bello aut latrocinio milites, apud hospitē
 quendā educto è uase embolo, passus est uinū in solū de-
 fluere, ac uelut officiosus admonuit se sentire uini odo-
 rem: cū altero sodali puero quotidie gladio decertabat,
 nō ioco, sed serio, ut iam agnoscere latronem, aut sica-
 riū, aut quod his simillimū est, mercenarium militem fu-
 turum. Huic tameti si faueret ille formator, tamē metuens
 ne se mutuo cōfoderent pueri, cognatum ablegauit. Nā
 ex altero luculentam capiebat mercedem, erat autem ex
 isto numero Euangelicorum, quibus nihil dulcius est pe-
 cunia. Persuasum erat optimo uiro parenti, puerū agere
 apud præceptorem sanctum, amicum, ac uigilatēm, quū
 uiueret apud fucatum carnificem, ac homini semijnsano
 perpetuoq; ægrotanti ministrum & assessorē age-
 ret. Quum igitur æquior esset in eū qui sanguine pro-
 pinquis erat, atq; item in alterum unde luculēta messis,
 in innoxium inclinavit suspicio, cui tantum tribuebatur
 malitia, ut suas ipsius uestes laceraret, confpurcaretq;
 quo uitaret suspicionem. Atqui puer ex utroq; parente
 optimo natus, nullū unquam tam illiberalis ingenij spe-
 cimen dederat, & hodie nihil est illius moribus ab omni
 malitia alienius, qui nunc omni metu liber rē omnem ut
 gesta est narrat ordine. Talibus paedagogis honesti ci-
 ues tradunt filios suos, quibus nihil habent charius, ta-
 les queruntur non reponi sibi mercedem opera dignam.
 Neque non senserat carnifex errorem suum, sed maluit

constanter insanire, quām culpam agnoscere: & aduersus huiusmodi nō instituitur malæ tractationis actio, nec in tam immanē fœnitātē uigorem habet legum severitas. Nullis est ira implacabilior, quām ijs qui morbo contiali sunt affines. Quām multæ res irrepserunt in uitam Christianorū, nec Phrygibus nec Scythis dignæ, è quibus unum indicabo, non prorsus abhorrens ab hoc argumento. Qui primū adeunt scholas publicas, coguntur beanum exuere, barbaræ rei repertū est æque barbarum uocabulum. Missus est adolescens ingenuus ad discendas artcis liberales. Verum quām illiberalibus cōtempnijs initiatur? Primum macerant illi mentū ueluti barbam derasuri, ad id adhibetur lotiū, aut si quid lotio fœdius. Is liquor impingitur in os, nec licet expuerc. Molestis ictibus detrahuntur cornua scilicet, interdum coguntur multam acetū, aut salis uim ebibere, aut si quid aliud libuit effreni uiuenū petulantie. Nam aggressuri ludum exigunt iusurandum, illū omnibus imperatis paritū. Tandem sublimem rapiunt, & dorso quoties libuit arietant in postē. Has tam agrestes contumelias nō nunquam excipit febris, aut spinae dolor immedicabilis. Certe lusus insulsus exit in temulentum cōuiuum. A talibus exordijs auspicātur liberalium artiū studia. Atqui talibus auspicijs initiari decuit carnificem, tortorē, aut lenonem, aut animæ uenalis Carem, aut remigem, non puerum musarum & gratiarum sacris destinatum. Mirum est ad eum modum insanire iuuens liberalibus studijs deditos, sed magis mirum est hæc à iuuentutis moderatoribus approbari. Tam foedis, tamq; crudelibus ineptijs

ineptis prætexitur nomen cōsuetudinis, quasi male rei
cōsuetudo quicquam sit aliud, quām error inveteratus,
hoc maiore studio reuellendus, quod iam ad plures ser-
psit. Sic durat et apud Theologos uesteriarum mos,
nam rem absurdam absurdo signant nomine, scurris di-
gnam citius quām Theologis. Verum eorū qui libera-
les profitētū disciplinas, oportet et iocos esse libera-
les. Sed ad pueritiam redeo, cui nihil inutilius quām pla-
gis assuescere, quarum enormitas facit, ut indoles gene-
rosior fiat intractabilis, abiectior ueniat in desperatio-
nem, assiduitas facit, ut et corpus occallescat ad uerbe-
ra, et animus obdurescat ad uerba. Imò nec acrior ob-
iurgatio frequēter est admouenda. Pharmacum sinistre
adhibitū exacerbat morbum, nō leuat, et aſidue adhi-
bitum paulatim definit esse pharmacū, nec aliud efficit,
quām quod solet cibus insuavis parumq; salubris. (1)

Quidam doceret uobis Hebreos, quoniam Quia patet
nigra, sed filium suum et quidam filium suum, affi-
denter illi, sicut et tu. Scie nanciuere filij in iuon-
tate, et cuncta latentes dum iugans et adiungens ex-
siguria foris effe congruere dñe lucis. Nonne oportet
Hebreos, ut dñe recipiatur inter patrem? Quid si quis nos
litteris et collabore gemit, quid abfundit usquam inflator
ra eximia pueri, extenderet hunc ex parte, nonne ex-
dil cunctam cruce, aut summa dilectionis tue, non ho-
milius eximutus quod dñe nobis precium pollicetur ante
palpet inquit proximitate os. Metuit filis paupertati,
ut ex parte nostra defraudeat, et in parte feccidat?
Nostra luxuria sit pueris aedemotio, nonne quan-
tum in parte locum debet vidi, tene obiur
feliciter. Felicitateq; in tunc postentis habuit
in eritum horum.

obsequio sed mansuetudine candore amaritudine
 Macer flagellante fiduciam filii nostri, ut recte institu-
 ti domini habeantebus vivendi rationem nec cogantur in
 rebus gerendis à vicinis emendare et filii. Lycon phi-
 losophus ostendit duos acerrimos stimulos excitādis pue-
 roru ingenij, pudore ac laudem: pudor est iusti probri-
 metus, laus autē est omnium artium altrix. His stimulis
 urgeamus liberorum ingenia. Iam si placet ostendā ex-
 fūtem, quo tundas tuorum latera. Labor omnia uincit
 improbus, ait Poëtarū optimus: aduigilemus, urgeamus,
 instemus, exigendo, repetendo, inculcando, hoc fuste tun-
 damus infantium nostrorum latera. Primū discant ama-
 re mirariq; probitatem ac literas, horrere turpitudinē
 et inscitiam. Audiant alios ob recte facta prædicari,
 alios ob male facta uituperari, ingerantur exempla eo=
 rum quibus eruditio summam gloriam, opes, dignitatē,
 et autoritatem peperit. Risus eorum, quibus improbi
 mores, nullisq; disciplinis excultum ingenium, infamia,
 contemptum, ægestatem et exitium attulit. Hi nimurum
 sunt fustes digni Christianis, mansuetissimi Iesu discipu-
 lis. Quod si nihil proficitur, nec monitis, nec precibus,
 nec æmulatione, nec pudore, nec laudibus, nec cæteris
 artibus, ipsam etiam utrgarum castigationem, si res ita
 demum postulet, oportet et liberalē esse et uerecundā.
 Nam hoc ipsum nudari ingenuoru corpora, præsertim
 multorum oculis, cōtumelia genus est. Tametsi Fabius
 in uniuersum dānat receptam cædendi pueros ingenuos
 consuetudinē. Dixerit aliquis, quid fieri ijs, qui nisi pla-
 gis ad studia compelli non possunt? Respondeo numero,
 quid

quid faceres asinis ac bubus, si in scholam ueniant? non ne rus abigeres, et alteros pistrino, alteros aratro deres? Sunt enim homines non minus stiue et pistrinonati, quam boues et asini. Sed interim, inquiunt, decrevit grex. Quid tum postea? Simul et questus. Hoc dum. Hinc igitur ille lachrymae. Charius est illis lucru, quam puerorum profectus. Sed huiusmodi fermè est literatorum uulgas. Fateor, que admodum philosophi describunt sapientem, rhetores oratorem, qualem uix usquam inuenias, ita longe procliuius esse praescribere qualem oporteat esse preceptorem, quam multos inuenire qui ad praescriptam formam respondeant. Verum hac oportebat esse publican et prophani magistratus, et ecclesiasticorum procerum curam, ut quemadmodum instituuntur, qui nauent operam in bello, qui cantent in templis: ita multo magis instituuntur, qui recte ac liberaliter forment liberos ciuium. Vespasianus è fisco suo dabat annua centena Latinis, Græcisq; rhetoribus. Plinius nepos etiam de priuato suo in eundem usum ingentem summam erogauit. Quod si cessat publica cura, certe suæ quisq; domi uigilare debet. Quid faciet, inquis, tenues, qui uix alunt suos liberos, tantum abest, ut talem educatorē possint conducere? Hic nihil habeo quod respondeam, nisi illud è comœdia, ut possumus, quando ut uolumus non licet. Nos instituendi rationem optimam tradimus, fortunā dare nō possumus. Nisi quod hic quoq; diuitum benignitas debet bene natis ingenij, sed angustia rei familiaris non ualentibus exerere vim naturæ, succurrere. Factor præceptoris comitatē ita temperatam esse oportere,

d s ne

ne pudorem ac reverentiam excutiat familiaritatis co-
mes contemptus, qualem fuisse prædicant Sarpedonē Ca-
tonis Uticensis pædagogum, qui comitate morū, sum-
mam gratiam, probitate parem autoritatem apud pue-
rum sibi conciliarat, nullo uirgarum metu. Verum isti
qui nihil aliud norunt, quām cedere, quid faceret si Ce-
sar is aut regum liberos suscepissent instituendos, quos
cedere fas non est? Dicent heroum filios eximendos ab
hac formula. Quid ego audio? An ciuium filij minus
sunt homines quām regum? An suus cuique filius non
eque charus esse debet, ac si ē rege natus esset? Si fortu-
na est humilior, hoc magis opus est institutionis ac lite-
rarum præsidio, quo se tollant humo. Sin ampla, ad rem
probe administrandā necessaria est philosophia. Quid
quod non pauci ex humili loco uocantur ad principa-
tum, interdum & ad summum pontificie dignitatis cul-
men. Non omnes buc euadunt, tamen omnes buc educan-
di sunt. Cum plagosis rixari desinam, si unum hoc adie-
cero. Eas leges ac magistratus à sapientibus uiris dam-
nari, qui tantum terrent poenis, non etiam alliciūt præ-
mijs, quiq; puniunt admissa, non item cauet ne quid. ad-
mutatur puniendum, —dem sentiendum de ulgo pædago-
gorum, qui tantum uerberant ob commissa, nō instituūt
animum ut nolit peccare. Exigitur lectio, si quid fallit
puer, ceditur, id quum fiat quotidie, quo magis assuecat
paruulus, existimant se pulchre functos officio præce-
ptoris. Atqui prius buc erat inuitandus puer, ut amaret
literas, ut ueretur formatoris animum offendere. Ve-
rum hisce de rebus fortasse plus satis alicui uidebor dif-
seruisse,

seruisse, et iure uiderer, nisi tam grauiter hic peccare=
 tur ferè ab omnibus, ut nunquam satis dici poſſit. Porrò
 non parum adferet adiumenti, si qui puerum ſuscepit in=
 ſtituendum, animi inductione parentis affectum induat.
 Hoc pacto fiet, ut et puer diſcat libentius, et ipſe mi=
 nus ſentiat ex labore tædij. Siquidem in omni negocio
 magnam difficultatis partem adimit amor. Quoniā au=
 tem iuxta uetus prouerbium, Simile gaudet ſimili, prece
 ptor quodāmodo repuerſcat oportet, ut ametur à pue=ro.
 Non placet tamen, quod extrema ac penè decrepitæ
 etatis ſenibus pucros tradunt in ſinum literarum rudi=
 mentis imbuendos. Nam hi uere pueri ſunt, non ſimu= -
 lant, nec fingunt balbutiem, ſed uere balbutiunt. Optarim
 etatem uarentem, à qua non abhorreat puer, et quam
 non pīgeat quamvis personam ſumere. Hic idem aget in
 formādo ingenio, quod parentes ac nutrices facere ſolēt
 in fingendo corpore. Quo modo docent primum infan= -
 tem humanas fonare uoces? Bleſa lingua sermonem ad
 puerilem balbutiem accōmodant. Quomodo docent ede= -
 re? Præmandunt ipſe lacteam pultem, et cōmansam pau= -
 latim in os infantis inſerunt. Quomodo docent ingredi? -
 Inflectunt corpus, et ſuos paſſus ad infantis modulum
 contrahunt. Nec quoquis paſcunt cibo, nec plus inſu= -
 dunt, quam capere poſſit, ac ſenſim cum etatis proſecu= -
 ad ſolidiora prouehunt. Primum cognata queritur ali= -
 monia, non multum abhorrens à lacte, que tamen ipſa ſi
 copiosius immergatur in os, aut præfocat infantem, aut
 effuſa uestem contaminat. Senſim ac paulatim inuſa, iu= -
 nat. Quod idē uſu uenire uideamus uafculis angusti oris,
ſi

si multum infundas, rebullit quod infunditur. Sin minutum, atque ut ita loquar stillatum, paulatim quidē ac sensim, sed tamen implentur. Ut igitur exiguis cibis ac subiecte inde datis aluntur tenera corpuscula, itidem ingenia puerorum cognatis disciplinis, sed sensim ac eū per lusum traditis, paulatim assuefcunt maioribus, nec interīm sentitur laſitudo, quod minutae accessiones sic fallant laboris sensum, uti nihilo secūs ad profectus summam conseruant: quemadmodum narratur de quodam athleta, qui quotidie uitulum per aliquot stadia gestare assuetus, iam taurum factum nullo negocio gestauit. Non enim sentiebatur incrementum, quod unusquisque dies addebat oneri. Verum sunt qui postulant, ut ilico pueri fiant senes, dum non habent rationem etatis, sed ex suis viribus illorum ingenia metiuntur. Protinus instant acerbe, protinus exigunt plenam operam, protinus corrugant frontem, si munus puer expectationi respondeat, et sic mouentur, quasi cum adulto rem habeant, uidelicet oblieti se fuisse pueros. Quanto humanius est quod Plinius admonet quendam seueriorem literatorem. Memento, inquit, et illum adolescentem esse, et te fuisse. At complures ita ferociunt in etatem imbecillam, quasi nec se, nec discipulos meminerint homines esse. Rogabis ut tibi cōmonstrem illa cognata etatis genio, que statim instilanda sint parvulis. Primum linguarum usus, qui citra studium omne contingit infantibus, quum adultis ea facultas uix ingēti studio comparetur. Et huc, ut diximus, inuitat infantulos nativa quædam imitandi uoluptas, cuius uestigium aliquod uidemus et in sturnis ac psittacis.

cis. Quid Poëtarum fabulis amoenius? que sic uoluptatis illecebra blandiuntur puerorum auribus, ut adultis quos que non modo ad lingue cognitionem, uerum etiam tum ad iudicandum, tum ad dictio[n]is copiam non parum adferant utilitatis. Quid libentius audiat puer, quam apolo[gi]os Aesopioos, qui tamen per risum iocumq[ue] tradunt seria præcepta philosophie, qui fructus est et in ceteris ueterum Poëtarum fabulis? Audit puer socios Vlyssis arte Circes uersos in sues aliasq[ue] formas animantium. Rendetur narratio, ex tamē interim discit puer, quod in moral[i] philosophia præcipuum est, eos qui non gubernant recta ratione, sed affectuum arbitrio rapiuntur, non homines esse, sed beluas. Quid Stoicus diceret grauius? Et tamen idem docet ridicula fabula, In re manifesta, nō te remorabor pluribus exemplis. Iam quid Bucolico carmine facetius? Quid comœdia dulcius? que quum H[ero]di constet, mouet et imperitos, et pueros. At hic quanta philosophie pars per lusum discitur? Adde his rerum omnium uocabula, in quibus mirum quam hodie, cœciant etiam ij, qui pro præclare doctis habentur. Postremo sententias breues ac lepidas, quod genus ferè sunt proverbia, et illustrium virorum apophthegmata, quibus olim solis philosophia tradi solita est populo. Iam aparet in ipsis interim infantibus, peculiaris quedam ad certas disciplinas proclivitas, uelut ad musicam, aut arithmeticam, aut cosmographiam. Nam ipse sum experitus, qui ad grammatices, rhetoricesq[ue] præceptiones uchein ter tardi, ad subtiliores illas disciplinas ualde dociles reperti sunt. In eam igitur partem est adiuuanda natura,

tura, in quam suapte sponte prona est. Minimus autem est in declivi labor, quemadmodum contrà, Nihil initia dices faciesue Minerua. Noui puerum nondum fandi potentem, cui nihil erat dulcius, quam explicato uolumine, legentis speciem representare. Idq; quum interdum multis horis ficeret, nullo tardio capiebatur. Nec unquam tam acriter flebat, quin oblato uolumine placaretur. Eares parentibus spem bonam ostendebat fore, ut aliquando uir doctus euaderet. Addebat et nomen non nihil leti ominis. Nam Hieronymus dicebatur. Qualis autem nūc sit, nescio. Nā adolescentē nō uidi. Ad lingue cognitionem plurimum habebit momenti, si inter bene loquaces educetur. Fabulas et apologetos hoc discet libentius ac meminerit melius, si horum argumenta scite depicta pueri oculis subjiciantur, et quicquid oratione narratur, in tabula demonstretur. Idem eque ualebit ad ediscenda arborum, herbarum, et animantium nomina, simul et naturas, praesertim eorum, que non ita paſsim sunt obvia, ueluti rhinoceros, tragelaphus, onocrotalus, asinus Indicus, elephantus. Tabella habet elephantum, quem draco suo complexu stringit, primoribus pedibus cauda inuolutis. Arridet paruulo noua picturæ species, quid hic faciet preceptor? Admonebit ingens animal Græcis dici ἐλέφαντα. Latine simuliter, nisi quod interdum ad latine inflexionis formam dicimus elephantus elephanti. Ostendet quam Græci uocant προβοσκίδη. Latini manum, quod ea sibi porrigit cibum. Admonebit illud animal non respirare ore, quemadmodum nos, sed proboscide: ostendet dentes utring; prominentes, unde

unde ebur quod apud diuites in precio est, simulq; proferet pectinem eburneum. Deinde docbit apud Indos esse tam ingenti corpore dracones. Dracon autem esse uocem græcam cum latinis communem, nisi quod nos eam nostro more inflectimus, quum Græci dicant δέαντος, quemadmodum λέων, unde foemina Dracon, sicuti Leæna. Admonebit inter hos dracones et elephantos esse genuinum atroxq; bellum. Quod si puer erit discendi auidior, poterit alia multa cōmemorare de natura elephantorum ac draconum. Pleriq; gaudent pietatis uenationibus, hic quot species arborum, herbarum, auium, quadrupedum, per lusum disci possunt? Nec hic te remorabor exemplis, quum proclive sit ex uno coniuncto omnia. In diligēdis his uigilabit institutor, ut quod iudicabit maxime gratum pueris, maximeq; cognatum et amabile, ac, ut ita dicam, florulentum, id potissimum proponat. Prime etatis ceu ueris prouetus flosculis blan dum arridentibus, et iucunde uirentibus herbis constat, donec uirilis etatis autumnus, maturis frugibus rumpat horrea. Ut igitur absurdum sit in uere maturam uiam querere, in autumno rosam, ita præceptoris obseruandum est, quid cuique congruat etati. Iucunda et amœna pueritiae conueniunt. Quanquam in totum à studijs oportet abesse tristitia ac truculentiam. Fallor ni id ueteres quoque significare uoluerunt, qui Musis uirginibus, formam insignem, citharam, cantus, choreas, ac lusus per amœnū uirecta tribuerunt, hisq; Charites addidere sodales: Studiorum profectum mutua animorum beneuolentia potissimum constare, unde et humanitatis literas appella

appellauere prisca~~N~~ Nihil autem uerat quo minus uolu=ptati comes sit utilitas, & iucunditati iuncta sit honestas. Atque hec omnia tam frugifera nullo tædio discit puer. Quid enim obstat quo minus eadem opera discat aut lepidam ex Poëtis fabellam, aut festiuam sententiā, aut insignem historiolam, aut eruditum apologum, quā canta=tionem ineptam, plerūq; & scurrilem, qua ridenda de=lirantium aniculārum fabulamenta, qui meras muliercu=larum imbibunt & ediscunt nugas? Quantum somnio=rum, quantum inanum enigmatum, quātum inutilium neniarū de lemuribus, spectris, larvis, strigibus, lamijs, ephialtis, syluanis ac dæmogorgonibus, quantum inutilium mendaciorum ex uulgaribus historijs, quantum deliramentorum, quātum nequiter dictorum, etiam uiri memoria tenemus, quæ puelli à tatthis, aujs, mammis, ac puellis colo absentes, & inter complexus ac lus=sus audiuiimus? Quantus autem esset ad eruditionem fa=tus gradus, si pro his sicutis, ut aiunt, gerris uanioribus, nec friuolis tantum, sed noxijs quoq; ea quæ modo cōmemorauimus statim imbibissemus? Dices, quis doctus ad hæc tā minuta fese dimisurus est? Atqui Aristoteles tā=tus philosophus, non grauatus est in Alexandro fingen=do literatoris obire munus. Chiron Achillis formauit infantiam, cui succedit Phœnix. Heli sacerdos puerum Samuelem educauit. Et sunt hodie, qui uel lucelli, uel ani=mi gratia, propè plus operæ sumunt in formando cor=uo aut psitaco. Sunt qui pietatis ergò longinquas iux=tā ac periculosas profectiones suscipiunt, aliosq; li=bores prop̄modum intolerabiles. Quin ad hanc fun=ctionem,



tione, qua nihil potest esse deo gratius, inuitat nos pie
 tate. Quanquam in his ipsis tradendis quae commemora-
 sumus, nec instantem, nec seuerū esse oportet formato-
 rem, sed assiduum magis quam immodicum. Non offen-
 dit assiduitas, si moderata sit, si uarietate simul ex iucū-
 ditate condiatur, deniq; si sic tradantur hæc, ut absit la-
 boris imaginatio, sed puer existimet omnia per lusum
 agi. Hic ipse sermonis cursus nos admonet, ut paucis ape-
 riamus, qbus modis fiat, ut puero dulcescat literæ, quod
 ante nonnulla ex parte coepimus attingere. Sermonis fa-
 cultas, ut dictum est, citra fastidiū usū comparatur. Huic
 succedit scribendi legendiq; cura, que per se nō nihil ha-
 bet tædij, ceterum id magna ex parte doctoris artificio
 tollitur, si blandis quibusdam illecebris condiatur. Repe-
 rias enim quosdam, qui du hærent sudantq; in noscitana-
 dis ex connectendis literis, ac primis illis grammatices
 rudimentis, quum ad maiora sint celeri docilitate. Ho-
 rum fastidio arte medendum est, cuius rei rationes alii
 quot commonstrarunt ueteres. Quidam literarum for-
 mas, crustulis pueritiae gratis exprimebant, ut ita quo-
 dammodo literas deuorarent. Reddenti literæ nomen,
 præmiolum erat ipsa litera. Alij figuræ elementorum
 ebore effingebat, ut his puerus ludcret, aut si quid aliud
 esset, quo solet etas illa peculiariter capi. Britanni iacu-
 landi studio præcipue ducuntur, nec aliud prius suos do-
 cēt infantes. Quidā itaq; solertis ingenij pater, animad-
 uertens in filio miram iaculandi uoluptatem, bellissimum
 arcum ac sagittas per pulchras parauit, in omnibus tum
 arcu, tum sagittis erant depictæ literæ. Deinde scopo-

e rum

rum uice, grecarum primum, deinde latinarum literarum figuras proposuit: ferenti ac literæ nomen pronuncianti, preter applausum, præmiolum erat cerasum, aut aliud quo gaudent paruuli. Ex eo lusu fructus est uberior, si duos tres ue pares ad certaminis confortiū adhibeas. Hic enim attentiores ex alacriores facit uictoriae spes, ac metus ignominie. Eo cōmento factū est, ut puer intra pauculos dies ludendo, literarum omnium formas ex sonos probe calluerit, quod literatorum uulgas, flas gris, minis, ex conuicijs suis uix triennio possunt efficer. Mihi tamen non probatur in huusmodi rationibus, quorūdam nimis operosa industria, qui hæc per ludum latrunculorum aut alcæ adumbrant. Quum enim ipsi lusus supererent puerorum captum, quomodo per eos descent literas? Hoc non est subleuare puerorum ingenia, sed labori laborem addere. Quēadmodum sunt machinae quedam tam operose, ut moram adferant negocio peragendo. Huius generis fermè sunt, que de arte memoriae quidam ad questum aut ostentationem potius quam ad utilitatem excogitarūt, Nam ista memoriam corrumpunt potius. Optima memoriae ars est, penitus intelligere intellecta in ordinē redigere, postremo subinde repetere, quod meminisse uelis. Et insitū est paruulis uincendi studium, ex inuidientiæ seminarium quoddam, deinde metus ignominie ex laudis amor, præsertim ijs qui sunt erectioris ingenij ac uiniðæ indolis. His affectibus abusetur formator ad studij profectum. Vbi nihil proficiet, precibus ac blandimentis, neq; puerilibus præmiolis, ac laudibus, certamen cū æqualibus erit simulandum. Laudetur

detur audiente segni sodalis. Acuet emulatio, quem non potuit sola adhortatio. Non tamen expediet sic uictori deferre palmam, quasi perpetua sit, sed interim ostendet uicto spem, eam ignominiam uigilantia sarcendi, quod facere solent in bello duces. Nonnunquam permittendus est, ut puer existimet se uincere qui sit inferior. Postremo uicissitudine laudum ac uituperiorū alet in illis utilē, ut ait Hesiodus, contentionem. Fortasse pigebit aliquem seuerioris ingenij, sic inter pueros ineptire. Sed eundem interim nec piget, nec pudet bonam diei partem cum catellis Melitæis, aut cū Cercopithecis ludere, aut cum coruo psittacoq; fabulari, aut cū Morione nugari. His ineptijs res maxime seria agitur, & mirum est bona uiris hinc esse minus uoluptatis, quum pietas ac spes amplissimi fructus & illa solet iucunda reddere, quæ per se sunt austera. Fateor grāmatices præceptiones initio subauerteras esse, magisq; necessarias esse quād iucudas: Verum his quoq; bonam molestiæ partem adinet præcipientis dexteritas. Optima tantum primum ac simplissima præcipienda sunt. Nunc quibus ambagibus ac difficultatibus excruciantur pueri, dum ediscunt literarum nomina, priusquā agnoscant figurās, dum in nonum ac uerborum inflexionibus coguntur ediscere, quot casibus, modis ac temporibus eadem uox respondeat: ueluti, muse, genitiuo & dative singulari, nominativo & uocativo plurali. Legeris à legor, à legerim, & à legero. Quæ carnificina tum pstrepit in ludo, quā hæc à pueris exiguntur? Nonnulli literatores, ut ostentent eruditōne suam, solent his studiose nonnihil difficultas

e 2 tis adde

tis addere. Quod uitium reddit omnium penè disciplinārum initia perplexa molestāq; præsertim in dialectica. Quibus si cōmonstres commodiorem docendi viam, respondent se ad eum modum institutos, nec patiuntur quicquam melius esse pueris, quam ipsis pueris accidit. Vitanda est igitur omnis difficultas uel non necessaria, uel intempestiuā. Mollius fit quod suo tēpore geritur. Verum ubi iam deuoranda est necessaria difficultas, ibi formande pueritie artifex, quantum potest probos ex amicos medicos studebit imitari, qui absinthiatum pharmacum porrecturi, ut inquit Lucretius, pocitorū oras melle prælinunt, quo puer illectus dulcedinis uoluptate salutiferam amaritudinem non reformidet, aut ipsi etiam pharmaco saccarum, aut aliud grati saporis admiscent. Quid ex diſimulant esse pharmacum. Nonnunquam enim horrōrē adſert sola imaginatio. Deniq; facile uincitur hoc tedium, si non ſimul ex immodeſce, ſed paullatum ex interuallis tradantur. Quanquam nō oportet plus ſatis diſidere puerorum uitribus, ſi quid forte laboris ſit exhaustiū. Non ualet robore puer, at ualet aſſiduitate, ualet habilitate naturæ. Non ualet ut taurus, at ualet ut formica. In quibusdam ex elephantus à muſca ſuperatur. In eo quidq; ualet ad qd' natura compositum eſt. An non uidemus pueros tenellos mira agilitate totum curſitare diem, nec ſentire laſitudinē? Idem ſi faciat Milo, fatigaretur. Quid in cauſa? Quia lufus etati cognatus eſt, ex lufum imaginantur, non laborē. Eſt autē in re quouis maxima moleſtie pars, imaginatio, quæ mali ſcnſum adſert interdum, etiam ubi nihil eſt mali.

mali. Proinde quum hanc naturæ prouidentia parvulis
ademerit, ut quantum deest viribus, tantum hac parte
subleuentur: præceptoris, ut ante diximus, partes erunt,
eandem multis rationibus excludere, studioq; lusus per-
sonam inducere. Sunt et lusuum species non indignæ li-
beris, quibus subinde laxanda est studiorū intēsio post
quām cō peruentum est, ut ad maiora uocētur, que sine
cura, laboreq; percipi non possunt: quod genus sunt,
tractare themata, uertere latina græce, aut græca lati-
na, aut cosmographiam ediscere. Sed omniū maxime cō-
tulerit, si puer consuerit, diligere ac reuereri præcepto-
rem, amare mirariq; literas, metuere ignominiam, capi
laude. Restat unus ille scrupulus, que obijcere solent Tertia pro-
ij, qui dicunt minorē esse profectum, qui tribus illis aut positio.
quatuor annis acquiritur puer, quām ut operæ preciū
sit, uel tantum capere laboris in docēdo, uel tantū sum-
ptus impendere. At isti quidem mihi uidentur non tam
consulere pueris quām facultatibus, aut doctori parcere.
Verū ego patrem esse negarim, qui quum de formando
filio res uertitur, anxiam sumptus rationē habet. Tum
ridicula quædam clementia fuerit, quo præceptor non-
nihil operæ lucri faciat, aliquot annorum iacturam in
filio facere. Sit sanè uerum, quod non negat Fabius, post
uno anno plus effici, quām primis illis tribus aut qua-
tuor, quid est queri hoc qualemque lucrum contemna-
mus in re multo preciosissima? Donemus esse perpusil-
lum, tamen hoc prestabat agere puerū, quām aut omni-
no nihil, aut aliquid dediscendum discere. Quibus curis
melius occupabitur illa etas, simul atq; fari cœperit,

e 3 que

que non potest esse prorsus ociosa? Deinde quantumcumq; est quod prior ætas contulerit, maiora tamen aliqua discet puer, eo ipso anno, quo minora forent discenda, nisi illa prius occupasset. Hoc, inquit Fabius, per singulos annos prorogatum in summam proficit, et quantum in infanthia presumptum est temporis, adolescentie acquiritur. Ne repetam quod primis illis annis quædam facile discutitur, que à grādioribus maiore negocio percipiuntur. Facillime enim discitur quod suo tempore discitur. Demus illa esse pusilla, modo fateamur esse necessaria. Tamen si mihi quidem non adeò uidetur exiguis ad eruditionem gradus, utriusq; linguae si non peritiam certe gustum assequitum esse, tum tot rerum uocabula, deniq; prompte legendi scribendiq; facultatem auspiciatum esse. Non piget in rebus multo uilioribus occupare quicquid possumus quantumuis exigui lucelli, quod Graci, ni fallor, uocant πέρι οὐδὲ τοῦ. Vigilans negotiator, non assis aut teruntij compendium negligit, sic suo cum animo reputans, per se quidem exiguum est, sed accrescit ad summam, et pusillum pusillo frequenter additum cito reddit ingentem aceruum. Fabri ærarij surgunt antelucano, quo diei partem ueluti lucrificiat. Agricolæ quædam diebus festis agunt domi, quo plus operæ cæteris diebus absoluat. Et nos in liberis quatuor annorum dispensandum pro nihilo ducimus, quū neq; tempore sit ullus sumptus preciosior, neq; literis sit ulla melior possesatio? Nunquā satis mature incipitur, quod nunquā absolvitur. Semper enim discendum quandiu uitiumus. At qui cæteris in rebus, lucrum cessatione pretermissem, uigilantia

uigilantia sarciri potest. Actas ubi semel auolarit, auolat autem quam ocyssime, nullis incantamentis reuocari potest. Nugantur enim Poëtæ, qui fontem memorant è quo ueluti repubescant grandæui: fallunt medici, qui per nescio quam quintam essentiam pollicentur senibus repubescentiā. Hic igitur oportebat adhibere summan parsimoniam, quod ætatis iactura nulla ratione pensari queat. Adde quod prima quæq; uitæ pars optima creditur, quo parcus hæc est dispensanda. Hesiodus nec in summo, nec in imo probat parsimoniam, quod pleno dlio uideatur præpropera, exhausto sera, proinde in medio parcii iubet. At ætatis non oportet usquam abiisci parsimoniam, et si ob id parcendum semipleno dolio, quod uinum in medio sit optimum, maxime parcendum est teneris annis, quæ uitæ pars est optima, si exerceas, sed eadem fugacissima. Agricola paulo diligentior, non committit ut ulla pars agrorum omnino cesset, et que gignendis frumentis apta non est, eam aut uirgultis conserit, aut pascuis relinquit, aut cleribus instruit. Et nos optimam cui partem, citra frugem omnem literariam effugere patiemur? Noualis recens uel in hoc aliqua fruge occupandus est, ne incultus ex se gignat zizania. Nam omnino aliquid gignat oportet. Itidem tenera mens infantis, nisi protinus frugiferis disciplinis occupetur, uitijs obducitur. Testa liquoris odorem, quo primum imbuta fuit diu reddit, atq; ægre dediscit. Sed testam recetem ac uacuam, seruare licet cui uoles liquori. Mens aut bonam frugem gignit, si bonū semen iniicias, aut si negligas, inutilibus ac mox reuelledis occupatur.

Non parum lucri fecit, qui damnum effugit. Nec exiguum ad uitatem mometum attulit, qui uitium exclusit. Sed quid plura? Vis uidere quanti referat, mature quis formetur ad eruditionem an secus? Contemplare, quantum prisci uirenti etiamnum etate praestiterint, ex quam hodie nihil possunt qui in studijs consenserunt. Elegias amorum admodum adolescens scripsit Ouidius. Quis idem nunc posse senex? Lucanus qualis fuerit adolescentes, declarant illius monumenta. Vnde idem quoniam non maior sex mensibus, Romam deportatus, illico traditus est duobus clarissimis grammaticis, Palaeomoni et Cornuto. Sodales studiorum habuit, Saleium Bassum, et A. Persium, alterum historia, alterum satyra nobilis. Hinc nimis illa in iuuenc tam omnibus numeris absoluta encyclopaedia, tam admirabilis eloquentia, qui in carmine non minus oratorem summum praefat, quam poëtam. Nec defunt hoc seculo felicis institutionis exempla, tametsi rariora, idque in utroque sexu. Cassandra virginis ingenium celebrauit Politianus. Quid autem Ursino puero undecim annis nato mirabilius? Nam huius memoriam uir idem epistola sanè quam eleganti, seculorum memoriae commendauit. Quotumque nunc repertas uirum, qui duas epistolas eodem tempore totidem notariis dictare posse, ut et in singulis quadrent sententie, nec usquam excidat soloecismus? Puer ille id praestit in quinque, quoniam ex tempore darentur argumentata, et imparatus id ficeret. Nonnulli quoniam hec uident, existimantes rem esse uiribus humanis maiorem, tribuerunt ea magicis artibus. Planè magicis artibus fit, sed efficax

efficax incantamentum est, mature tradi, docto, probo,
 et vigilanti præceptor. Ingens pharmacum est, ab eru-
 ditis et inter eruditos optima statim discere. Talibus ma-
 gicis artibus Alexander Magnus adolescens etiamnum,
 preter eloquentiam omnes philosophiae partes absolvie-
 rat, et nisi bellorum amor ac regnandi dulcedo inge-
 nium hoc abripiisset, poterat inter summos philosop-
 phos esse præcipuus. Iisdem artibus C. Caesar tantum
 adolescens eloquentia mathematicisq; disciplinis ualuit,
 tantum Imperatores pleriq; tantum M. Tullius, Vergi-
 lius, et Horatius etate uirenti, tum doctrina, tum facū-
 dia præstiterunt, quod linguarum elegantiam apud pa-
 rentes ac nutrices, disciplinas liberales, ueluti poëticen,
 rhetoriken, historiam, antiquitatis notitiam, arithmeticen,
 geographiam, ethicen, politicen, ac rerum naturas
 rudibus statim annis ab eruditissimis didicerunt. Quid
 nos porro? Pueros nostros ultra pubertatem domi deti-
 nemus, ac otio, luxu, delicijsq; corruptos, uix tandem in
 scholam publicam mittimus. Illic ut res bene cedat, de-
 gustant aliquid grammatices, mox simul atq; norūt in-
 flectere uoces, et suppositum apposito recte iungere,
 perdidicere grammaticam, et ad perturbatam dialecti-
 cen admouentur, ubi si quid etiā recte loqui didicerunt,
 dediscant oportet. Sed infelior erat etas, que me pue-
 ro modis significandi, et quæstiūculis ex qua in, pue-
 ros excarnificabat, nec aliud interim docens, quam per-
 operam loqui. Nimirum præceptores illi, ne puerilia do-
 cere uideretur, grammaticen dialectices ac metaphysics
 difficultatibus obscurabant, nimirum ut præpostere iam

c 3 proue

projectiores post maiores disciplinas grāmaticen disce-
rent: quod nunc uidemus aliquot Theologis evenire cor-
datoribus, ut post tot laureas, post omnes titulos, ut iam
illis liberum nō sit quicquam nescire, ad eos libros redi-
re cogantur, qui pueris solent prælegi. Non illos inse-
ctor, præstat sero quam nunquam discere, quod cognitu
necessarium est. Deum immortalem, quale seculum erat
hoc, quum magno apparatu disticha Ioannis Garlādi-
ni adolescentibus, operosis ac prolixis cōmentarijs enor-
rabantur? Quum ineptis uerſiculis, dictandis, repeten-
dis, et exigendis magna pars temporis abſumebatur?
Quum edisceretur Florista, et Floretus? Nam Alexan-
drum inter tolerabiles numerandum arbitror. Deinde
quantum temporis peribat in sophistica, in superuaca-
neis dialecticorum labyrinthis? Ac ne sim prolixior,
quam perturbate tradebantur omnes disciplinæ, quam
moleſte, dum quisque professor ostentandi sui gratia,
statim in initio ea infulciret discipulis, quæ sunt difficilli-
ma, nonnunquā et fruola. Nec enim statim præclarum
quod difficile, ueluti ſinapis granum ē longinquò mitte-
re per foramē acus, difficillimū quidem est, sed ineptum:
et nectere aut ſoluere nodos Cäſioticos, res est opero-
ſe quidem, ſed ocioſe ſubtilitatis. Adde quod hæc tradū-
tur interdum ab indoctis, aut quod deterius eſt, à perpe-
ram doctis, nōnunquā et ab ignauis et improbis, qui-
bus merces longe prior eſt diſcipulorum proiectu. Hu-
iſmodi quū ſit vulgaris institutio, miramur paucis ante
ſenectutem contingere plenā eruditionem? Optima pars
uicijs, quibus infecti mīrumā tēpo-
ris

ris portionem impendimus studijs, maximā amoribus, cō
uiuijs, & lusibus. Et ad malam materiam adhibetur ni=
hilo melior artifex, aut fruola docens, non diffusa.
Et post hēc causamur etatis imbecillitatem, nondum do
cile ingenium, exiguum proiectū, aliaq; permulta, quum
re uera quicquid hoc est mali, sinistre institutioni sit im
putandum. Non te traham sermone longiore. Tantum
istam tuam prudentiam, ceteris in rebus perspicaciſi= Epilogus.
mam, appellabo. Consideret quām chara sit possessio fi=
lius, quām uaria, quamq; operosa res eruditio, sed eadē
quām preclara, quanta puerilis ingenij ad omnem insi=
tutionē habilitas, quanta humanae mentis agilitas, quām
facile discuntur, que sunt optima queq; naturae consentia= ne, præsertim si à doctis ex conubis per lusum tradan=
tur. Deinde quām tenaciter hærent ea quibus uacuos ac
rudes animos primum imbuimus, que eadem proiectior
etas & percipit difficilius, & obliuiscitur citius. Ad
hēc quām charus ex irreparabilis sumptus sit tempus,
quantum ualeat mature coepisse, quantū suo quidq; tem=
pore agere, quantum posset aſſiduitas, quām bene mini=
morū accessione crescit aceruus Hesiodius, quām fugax
etas, quām occupata iuuentu, quām indocilis senectus.
Hæc ſi tecum expendes, nūquam committes, ut in filio= lo, nō dieam ſeptenium, ſed ne triduum quidem
prætereat, in quo ad eruditionem

qualicunq; proiectu uel præ
parari, uel instrui pos= fit. DIXI.

FINIS.

20
 T E R M I N A T I O N E
 D E C O M M U N I C A T I O N E
 S U P E R I O R I S
 M A X I M I L I A N I S
 V I C E F I L I A L E



I T E R maximum illū Paulum
 non piguit omnia fieri omnibus,
 quo prodesse posset oībus, quan-
 to minus ego grauari debo iuuā
 de iuuentutis amore subinde re-
 puerascere. Itaq; quemadmodum
 pridē ad M A X I M I L I A

N I fratis tui primam adolescentiam memet accommo-
 daui, dum adolescentulorum formo linguam: ita nunc me
 ad tuam attempero pueritiam de puerorū moribus træ-
 ceptiorus: nō quod tu hisce præscriptis magnopere ege-
 as, primum ab incunabulis inter aulicos educatus, mox
 natus tam insignem formandæ ruditis etatis artificem:
 aut quod omnia que præscribemus ad te pertineant, &
 è principibus & principatui natum: sed ut libentius hec
 ediscant omnes pueri, quod amplissimæ fortunæ, summae
 q; spei puerο dicata sint. Nec enim mediocre calcar
 addet uniuersæ publi, si confinxerint heroum liberos à
 primis statim annis dicari studijs, & in eodem cū ipsis
 stadio currere.

Munus autem formandi pueritiā multis constat par-
 tibus, quarum sicuti prima ita præcipua est, ut tenellus
 animus

animus imbibat pietatis seminaria: proxima ut liberales disciplinas et amet, et perdiscat: tertia est, ut ad uitae officia instruatur: quarta est, ut a primis statim cui rudi mentis ciuitati morum assuefacat. Hac postremam nunc mihi proprie sumpsi. Nam de superioribus quam alij coplures, tu nos quoque permulta scripsimus. Quanquam autem exter num illud corporis decorum ab animo bene composito proficiscitur, tamē incuria praceptorum nonnunquam fieri uidemus, ut haec interim gratiam in probis et eruditis hominibus desideremus. Nec inferior haec esse crassissimam philosophiae partem, sed ea, ut sunt hodie mortaliū iudicia, plurimum conductit et ad conciliandā benevolentiam, et ad preclaras illas animi dotes oculis hominū commendandas. Decet autem ut homo totus sit compositus animo, corpore, gestibus, ac uestitu, sed in primis pueros decet oīs modestia, et in his praecipue nobiles. Pro nobilibus autē habēdi sunt omnes, qui studijs liberalibus excollunt animum. Pingant alij in clypeis suis leones, aquilas, tauros, et leopardos: plus habent ueræ nobilitatis, qui pro insignibus suis tot possunt imagines depingere, quot perdidicerunt artes liberales.

Vt ergo bene cōpositus pueri animus undique relucet, reluet aut̄ potissimum in uestitu, sicut oculi placidi, uercudi, cōpositi, non torui, quod est truculētie, non improbi, quod est impudētie, non uagi ac uolubiles, quod est insaniæ, non limi, quod est suspicioſorū et insidiæ molieſtiū, nec immodice diducti, quod est stolidorū, nec subinde cōniueſtibus genis ac palpebris, quod est incōſtantium, nec stupentes, quod est attonitorū, id in Socrate notaū, nec nimium acres,

acres, quod est iracudie signum, nō innuentes, ac loquces, qd' est impudicitiae signum, sed animū sedatū ac reuerenter amicū præ se ferentes. Nec enim temere dictū est à priscis sapientibus, animi sedem esse in oculis. Picturæ quidem ueteres nobis loquantur, olim singularis cuiusdam modestiae fuisse, semiclosis oculis obtueri, quē admodū apud Hispanos quosdā, semipetos intueri blandū haberi uidetur ex amicum. Itidē ex picturis discimus, olim cōtractis strictisq; labijs esse, probitatis fuisse argumentū. Sed quod suapte natura decorū est, apud oēs decorū habebitur. Quanquā in his quoq; decet interdū nos fieri polypos, ex ad regionis morē nosmet attemperare. Iam sunt quidā oculorum habitus, quos alijs alios addit natura, qui nō cadunt sub nostras præceptiones, nisi qd' incōpositi gestus nō raro uiciant, nō solū oculorum, uerum etiā totius corporis habitum ac formā. Contra compositi, quod natura decorum est, reddunt decētius: quod uiciosum est, si nō tollunt, certe tegunt minuantq;. Inde corum est clauso oculorum altero quenquam obtueri. Quid enim hoc aliud est, quam seipsum eluscare? Eū gestum thynnis ac fabris relinquamus.

Sint exporrecta supercilia, non adducta, quod est toruitatis: non sublata in altum, quod est arrogantiæ: non in oculos depressa, quod est male cogitantium.

Frons itē hilaris ex explanata, mentē sibi bene consciam, ex ingenium liberale præ se ferens, non in rugas contracta, quod est senij: non mobilis, quod est erinaciorum: non torua, quod est taurorum.

A naribus absit mucoris purulētia, qd' est sordidorū.

Id

Id uiciū Socrati philosopho datū est pbro. Pileo aut ue-
ste emūgi rusticānū, brachio cubitōue salsamētariorum,
nec multo ciuitus id manu fieri, si mox pituitā uesti il-
linas. Strophiolis excipere nariū recremēta decorū, idq;
paulisper auerso corpore, si qui adfint honoratores.
Si quid in solū deiectū est emūcto duobus digitis naso,
mox pede proterēdū est. Indecorū est subinde cū sonitu
spirare naribus, bilis id indicū est. Turpius etiā ducere
ronchos, qd' est furiosorū, si modo fiat usu. Nā spiritosis
qui laborat orthopnœa, dāda est uenia. Ridiculū nari-
bus uocē emittere, nā id cornicinū est & elephātorum.
Crisspare nāsum, irrisorū est et sannionū. Si alijs præsen-
tibus incidat sternutatio, ciuile est corpus auertere. Mox
ubi se remiserit impetus, signare os crucis imagine, de in-
sublato pileo resalutatis qui uel salutarūt, uel salutare de-
buerāt: nā sternutatio quēadmodū oscitatio sensum aurīū
prorsus auferit: precari ueniā, aut agere gratias. Alterū
in sternutamēto salutare religiosum, & si plures adfint
natu maiores qui salutēt uirū aut foemina honorabilem,
pueri est aperire caput. Porro uocis tinnitū studio intē-
dere, aut data opera sternutamētu iterare, nimurū ad ui-
riū ostētationē, nugonū est. Reprimere sonū & quānatus
in fact, ineptorū & qui phis vibrant, ciuitatiq; saluti.

Malas tingat natiuus & ingenuus pudor, non fucus
aut ascititus color. Quāquam is quoq; sic temperandus
est, ut nec uertatur in improbitatē, nec adducat stuporē,
& quartū, ut habet proverbiū, insaniae gradū. Qui-
busdā enim hic affectus tam impotens insitus est, ut reda-
dat deliranti simillimum. Temperatur hoc malum si
puer

puer inter maiores assuecat uiuere, ex comoedijs agēdis
exerceatur. Inflare buccas fastus indicū est, easdem de-
mittere, est animū despōdentis: alterū est Thraconis, al-
terū Iude proditoris. Os nec prematur, qd' est metuē-
tis alterius halitū haurire, nec hiet, quod est morionū,
sed leniter osculatibus se mutuo labris cōiunctū sit. Mi-
nus etiā decorū est subinde porrectis labijs ueluti poppyſ
mum facere, quanquā id magnatibus adultis per mediā
turbiā incedētibus condonandū est, illos enim decēt oīa,
nos puerū formanus. Si fors urgeat oscitatio, nec datur
auerti aut cedere, strophio uolāue tegatur os, mox ima-
gine crucis obſignetur. Oībus dictis aut factis arridere,
ſtultorū est, nullus arridere, ſtupidorū. Obſcēne dictis
aut factis arridere nequicia est. Cachinnus et immodicus
ille totum corpus quatiens rīsus, quem ob id Græci
συγκρούσιον appellant, nulli decorus eft etati, nedum
pueritie. Dedeceat autem quod quidam ridentes hinni-
tum edunt. Indecorus eft ille qui oris rictum late didi-
cit corrugatis buccis, ac nudatis dentibus, qui caninus
eft eft Sardonius dicitur. Sic autem uultus hilaritatem
exprimat, ut nec oris habitum dehonestet, nec animum
dissolutum arguat. Stultorū ille uoces sunt, rīsu diſfluo,
rīsu diſſilio, rīsu emorior: eft si qua res adeo ridicula in-
ciderit, ut nolentibus eiusmodi rīsum exprimat, mappa
mamiae tegenda facies. Solum aut nullam evidentem ob-
caſam ridere, uel ſtultitiae tribuitur, uel iſtanſie. Si quid
tamen eiusmodi fuerit obortum, ciuitatis erit alijs a-
perire rīsus caſam, aut si non putes proferendam, cō-
menticium aliquid adſerre, ne quis ſe derideri ſuſpicea-
tur.

tur. Superioribus dentibus labrum inferius premere, in-
urbanum est, hic enim est minantis gestus, quemadmodū
et inferioribus mordere superius. Quin et labiorum
oras lingua circumvoluta subinde lambere ineptū: por-
rectioribus esse labris, et uelut ad osculum compositis,
olim apud Germanos fuisse blandum indicant illorū pi-
cturæ: porrecta lingua deridere quenquam scurrile est.

Auersus expuito, ne quem conspuas aspergas'ue. Si
quid purulentius in terram rejectum erit pede, ut dixi,
proteratur, ne cui naufragia moueat. Id si nō licet, linteolo
spūtū excipito. Resorbere saliuā inurbanū est, quemad-
modū quosdam uidemus nō ex necessitate, sed ex usu ad
tertiū quodq; uerbū expuere. Quidā indecorē subtus-
sunt identidem inter loquendū, idq; non ex necessitate,
sed ex more: is gestus est mentientiū, et inter dicendū
quid dicant cōminiscentiū. Alij minus etiam decore ad
tertium quodq; uerbum eructant, quæ res si à teneris
annis abierit in consuetudinem, hæret etiam in gran-
diorem etatem. Idem sentiendum de screatu, quibus no-
minibus à seruo notatur Terentianus Clitipho. Si tuſis
urgeat, caue ne cui in os tuſias, et abſit ineptia cla-
rius tuſiendi, quām natura postulet. Vomiturus secede,
nam uomere turpe non est, sed ingluwie uomutum accer-
fisse deformē est. Dentiam mundicies curanda est, uerū
eos puluisculo candidare puellarum est, sale aut alumine
defricare, ginguæ perniciosum, idē lotio facere Iberoru
est. Si quid inhaesit dentibus, nō cultello, non unguibus,
canū felium'ue more, non mantili exili eximendū est, sed
uel lentisci cuspide, uel penna, uel oſiculis è galloru aut

f

gallina

gallinarū tibijs detractis. Os mane pura aqua proluere, & urbanum est & salubre, subinde id facere ineptū. De linguae usu suo dicemus loco. Rusticanū est impēxo esse capite, adsit mūdices, nō nitor puellaris. Absint sordes lendiu & uermiculorū. Subinde scabere caput apud alios, parū decet: quemadmodū unguibus reliquū fricare corpus sordidū est, præsertim si fiat usu, nō necessitate. Coma nec frontem tegat, nec humeris inuolitet. Subinde cōcuso capite discutere capillitiū, lascivientium est equorū. Casariem à fronte in uerticem leua retorquere, parum elegans est, manu discriminare modestius. Infletere ceruicem & adducere scapulas pigritiam arguit, resupinare corpus fastus indicium est, molliter erectum decet. Ceruix nec in leuum, nec in dextrum uergat, hyponcriticum enim, nisi colloquiū aut aliud simile postulet. Humeros oportet æquo libramine temperare, nō in morem antennarū alterum attollere, alterū deprimere. Nā huiusmodi gestus in pueris neglecti, uertutur in naturam, & corporis habitum præter naturā deformat. Itaq; qui præ desidia collegerūt consuetudinē inflectēdi corpus, sibi gibbum cōciliant, quem natura nō dederat: & qui deflexum in latus caput habere consueuerunt, in eum habitum indurescūt, ut adulti frustra mutare nitantur. Siquidem tenera corporcula plantulis similia sunt, que in quācūq; speciem furca funiculo ue deflexeris, ita crescūt & indurescūt. Vtrunq; brachium in tergū reuertquere, simul & pigritiæ specie habet & furis: ne q; multo decentius est altera manu in ilia iniecta astare sedere ne, quod tamen quibusdam elegans ac militare uidetur.

detur . At non statim honestum est quod stultis placuit,
 sed quod naturæ ex rationi cōsentaneū est . Reliqua di-
 centur quū ad colloquium, ex conuiuio uentum erit .
 Membra quibus natura pudorē addidit retegere citra
 necessitatē procul abesse debet ab indole liberali . Quin
 ubi neceſſitas huc cogit, tamē id quoq; decente uerecū-
 dia faciendū est, etiā ſi nemo testis adſit . Nunquā enim
 non adſunt angeli, quibus in pueris gratiſimus eſt pudi-
 citiæ comes custosq; pudor . Quorū autem conſpectum
 oculis subducere pudicū eſt, ea multo minus oportet a-
 lieno præbere cōtactui . Lotiū remorari ualeſudini per-
 nicioſum, ſecretò reddere uerecundū . Sunt qui præcipiat
 ut puer compreſſis natibus uentris flatū retineat . Atqui
 ciuile non eſt, dum urbanus uideri ſtudes morbum acce-
 ſere . Si licet ſecedere, ſolus id faciat . Sin minus, uixta ue-
 tiliſimū prouerbium, Tuſi crepitū diſsimulet . Alioqui
 quir non eadem opera præcipiunt ne aluum deiſciant,
 quum remorari flatū periculofius ſit quam aluum ſtri-
 gere . Diductis genibus ſedere, aut diuaricatis tibijs di-
 ſtortis ueſtare, Thraſonum eſt . Sedenti coēant genua,
 ſtant pedes, aut certe modice diducātur . Quidam hoc
 gestu ſedēt, ut alterā tibiam altero genu ſuſpedant, nō
 nulli ſtant decuſſati compositis tibijs, quorū alterū eſt
 anxiorum, alterum ineptorum . Dextro pede in leuū fe-
 mur inieſto ſedere priſcorum regū moſ eſt, ſed impro-
 batus . Apud Italos quidā honoris gratia pedē alterum
 altero premunt, uniq; propémodū iuſtunt tibiæ cico-
 niarū ritu, quod an pueros deceat nescio . Itidē in flecte-
 dis genibus aliud apud alios decet dedecet'ue . Quidam

f 2 utrumq;

utrumq; pariter inflectunt, idq; rufus alij recto corpore, alij nonihil incurvato. Sunt qui hoc ceu muliebre rati, simuliter erecto corpore primum dextrum incurvant genu, mox sinistrum, quod apud Britannos in adolescentibus laudiatur. Galli modulato corporis circumactu dextrum duntaxat inflectunt. In his in quibus uarietas nonihil habet cum honesto pugnans, liberum erit uel uenacidis uti moribus, uel alienis obsequiūdare, quādo sunt quos magis capiant peregrina. Incessus nec fractus sit, nec praeceps, quorum alterum est mollium, alterum fūriosorum, nec uacillans. Nam inceptam in incessu subclaudicationē Suiceris militibus relinquamus, et ijs qui magnū ornamentū ducunt, in pileo gestare plumas. Tamē metī uidimus episcopos hoc gestu sibi placere. Sedentē pedibus ludere stultorū est, quemadmodum et manibus gesticulari, parum integræ mentis indicium est.

DE CVLT V.

In summa dictū est de corpore, nūc de cultu paucis, eō quod uestis quodāmodo corporis corpus est, et ex hac quoq; liceat habitū animi coniūcere. Quanquā hic certus prescribi modus non potest, eō quod non omnīū pars est uel fortuna, uel dignitas, nec apud omnes nationes eadem decora sunt aut indecora, postremo nec omnibus seculis eadē placent disiplinentiae. Vnde quemadmodum in alijs multis, ita hic quoq; nonnihil tribuendū est, iuxta proverbiū, νόμῳ οὐχι χώρᾳ, atq; etiam nouissimis, cui seruire iubent sapientes. Est tamen in hisce uarietibus, quod per se sit honestum aut secus, uelut illa que

quæ nullū habent usum, cui paratur uestis. Prolixas tra-
here caudas in foeminis ridetur, in viris improbat, an
Cardinales & Episcopos deceat alijs aestimandū relin-
quo. Multitia nūquam nō probro data sunt tum viris,
tum foeminis, quandoquidem hic est alter uestis usus, ut
ea tegat quæ impudice ostendūtur oculis hominū. Olim
habebatur parum virile, discinctū esse, nūc idem nemini
uicio uertitur, quod indusij, subuculis, & caligis reper-
tis tegantur pudenda, etiā si diffuat tunica. Alioqui ue-
stis breuior quam ut inclinati tegat partes quibus de-
betur honos, nūquam nō inhonestā est. Dissecare uestīc-
amentū est, picturatis ac uerficoloribus uti, morionum
est ac simiorum. Ergo pro modo facultatum ac dignita-
tis, proq; regione & more adsit cultui mundicies, nec
sordibus notabilis, nec luxum aut lasciuia, aut fastū præ-
se ferens. Neglectior cultus decet adolescentes, sed citra
immundiciā. Indecore quidam interularū ac tunicarum
oras asperginē lotij pingūt, aut sinū brachialiaq; inde-
coro tectorio incrustant, nō gypso, sed nariū & oris pi-
tuita. Sūt quibus uestis in alterū latus defluit, alijs in ter-
gum ad renes usq;, nec defunt quibus hoc uideatur ele-
gans. Ut totū corporis habitū & mūdum, & cōpositū
esse decet, ita decet illū corpori congruere. Si quid ele-
gantioris cultus dedēre parētes, nec teipsum reflexis o-
culis cōtemplere, nec gaudio gestias, alijsq; ostētes: nam
alterum simularū, alterum pauonum: mirentur alijs, tu te
benecultum esse nescias. Quo maior est fortuna, hoc est
amabilior modestia. Tenuioribus in cōditionis solatium
concedendum est, ut moderate sibi placeant. At diues

f 3 often

ostentans splendorem amictus, alijs suam exprobrat misericordiam, sibiq; conflat inuidiam.

DE MORIBVS IN TEMPLO.

Quoties fores templi præteris nudato caput, ac modice flexis genibus, et ad sacra uerso uultu, Christū diuosq; salutato. Idem et alias faciendū, siue in urbe, siue in agris, quoties occurrit imago crucis. Per ædē sacram trāfieris, nisi simili religione saltē breui precatiūcula Christū appelles, idq; retecto capite, et utroq; genu flexo. Cū sacra peraguntur, totum corporis habitum ad religionē decet cōponere. Cogita illic præsentē Christū cum innumeris angelorum milibus. Et si qui regem hominem alloquuturus circūstante procerum corona, nec caput aperiat, nec genu flectat, nō iam pro rustico, sed pro insano haberetur ab omnibus: quale est illic apertū habere caput, erecta genua, ubi adeſt rex ille regū immortalis et immortalitatis largitor, ubi uenerabūdi circūstant ætherei spiritus. Nec refert, si eos nō uides, uident illi te, nec minus certū est illos adesse quām si uides eos oculis corporeis. Certius enim cernūt oculi fidei, quām oculi carnis. Indecētius etiā est quod qdā in templis obambulant, et peripateticos agunt. Atqui deambulationibus porticus et forā cōueniunt non templa, que sacris cōcionibus, mysterijs, ac deprecationi dicata sunt. Ad cōcionantem spectent oculi, hic attentæ sint aures, hic inhiet animus omni cū reuerētia, quasi non hominē audias, sed deum per os hominis tibi loquentē. Quū recitatū Euangelium assurge, et si potes ausculta religiose.

gioſe. Quum in ſymbolo canitur, et homo factus eſt, in genua procube, uel hoc pacto te ſubmittens in illius honore, qui ſemet pro tua ſalute, quū eſſet ſupra omnes cœlos demiſit in terras, quum eſſet deus, dignatus eſt homo fieri, ut te faceret deū. Dū peragūtur mysteria, toto cor pore ad religionē cōpoſito ad altare uersa ſit facies, ad Christū animus. Altero genu terrā cōtingere, erecto altero cui lēuus innitatur cubitus, gestus eſt impiorū militū, qui dño Iefu illudentes dicebat: Aue rex Iudeorū. Tu demitte utrungq; reliquo etiā corpore nōnihil inſlexo ad uenerationem. Reliquo tempore aut legatur aliquid ē libello, ſiue preclarum, ſiue doctrinæ ſalutaris, aut mens coeleſte quipiam meditetur. Eo tempore nugas obgannire ad aurem uicini, eorū eſt, qui non credunt illic ad eſſe Christum: huc illuc circumferre uagos oculos, amentium eſt. Existima te fruſtra templū adiſſe, niſi inde melior diſceſſeris, puriorq;.

D E C O N V I V I S.

In conuiujs adſit hilaritas, abſit petulantia: nō niſi lutus accube, ſed ante praefectis unguibus, ne qd in his hæreat ſordiū, dicarisq; ἐυτέλοντα, ac prius clā red i. extreme dito lotio, aut ſi r̄gs ita poſtulet, exonerata etiā aluo: et ſordidus. Si forte ſtrictū cinctū eſſe cōtingat, aliquātulū relaxare uincula cōſultū eſt, qd in accubitu parū decore fiat. Abſterges manus, ſimul abiſce qcquid animo ægre eſt. Nam in conuiuio nec triftē eſſe decet, nec contristare quenquam. Iuſſus cōſecrare mēſam uultum ac manus ad religionem cōponito, ſpectans aut conuiuij primarium,

f 4 aut

aut si fors adeſt, imaginem Christi, ad nomē Iesu, matrisq; virginis, utrūq; flectens genu. Hoc muneris si cui alteri delegatū fuerit, pari religione tū auscultato, tū respōdetō. Sediſ honorē alteri libēter cede, et ad honora tiorem locū inuitatus, comiter excusa: si tamen id crebro serioq; iubeat aliquis autoritate præditus, uerecunde obtempera, ne uideare pro ciuili præfractus. Accumbens utrāq; manum super mensam habe, non coniunctim, nec in quadra. Quidā enim indecore, uel unā, uel ambas habet in gremio. Cubito uel utrōq; uel altero inniti mēſe, senio morboue laſſis cōdonatur, idē in delicatis quibusdā aulicis, qui se decere putant quicquid agunt, diſsimulandum est nō imitādum. Interea cauendum, ne proxime accūbenti cubito, neu ex aduerso accumbēti pedibus ſis moleſtus. In ſella uacillare et nunc huic nunc alteri nati uicissim infidēre, ſpecie habet ſubinde uētris fluctum emittētis, aut emittere conantis. Corpus igitur aequo libramine fit ereclum. Mantile ſi datur, aut humero ſinistro, aut brachio lēuo imponito. Cū honoratioribus accubiturus, capite pexo, pileū relinquit, niſi uel regonis mos diuerſum ſuadeat, uel alicuius autoritas præcipiat, cui nō parere fit indecorū. Apud quasdam nationes mos eſt, ut pueri ſtantes ad maiorum ſuēſam capiant cibum extremo loco, reteſto capite. Ibi ne puer accedat niſi iuſſus, ne hæreat uſq; ad conuiuij finem, ſed ſumpto quod ſatis eſt, ſublata quadra ſua, flexo poblite ſalutet conuiuas, præcipue qui inter conuiuas eſt cæteris honoratior. A dextris ſit poculū et cultellus eſcarius rite purgatus, ad lēuā panis. Panem una uola preſſum, ſummis digi

digitis refringere, quorundā aulicorū delitias esse finito, tu cultello seca decenter, nō undiq; reuellens crustū, aut utring; resecans: delicatorū hoc est. Panē ueteres in omnibus cōuiuijs ceu rē sacrā religiose tractabāt, unde nunc quoq; mos relicitus est, eū forte delapsū in humū exosculari. Conuiuiū statim à poculis ausplicari potoru est, qui bibūt, non quod sitiant, sed quod soleant. Nec ea res solū moribus est inhonesta, uerū etiam officit corporis ualetudini. Nec statim post sumptam ex iure offam bibendum, multo minus post lactis esum. Puero səpius quām bis, aut ad summū ter in conuiuio bibere, nec de- corum est, nec salubre. Semel bibat aliquādiu pastus de secundo missu, præsertim sicco : dein sub conuiuij finem, idq; modice sorbēdo, non ingurgitando, nec equorū so- nitu. Tum uinum tum ceruisia nihil minus quām uinū inebrians, ut puerorū ualetudinē lādit, ita mores dedeco rat. Aqua feruide cōuenit ætati, aut si id nō patitur siue regionis qualitas, siue alia quepiā causa, tenui ceruisia utitor, aut uino nec ardentī, et aqua diluto. Alioq; me- ro gaudentes hæc sequūtur præmia, dentes rubiginosi, genæ defluētes, oculi lusciosi, mentis stupor, breuiter se- nium ante senectā. Antequam bibas præmande cibū, nec labra admoueras poculo, nisi prius mantili aut linteolo abstersa, præsertim si quis suum poculum tibi porrigit, aut ubi de cōmuni bibitur poculo. Inter bibendum in- tortis oculis alios intueri illiberale est, quemadmodum et ciconiarum exemplo ceruicem in tergum refle- re, ne quid hæreat in imo cyatho parū est liberale. Salu tantē poculo resalutet comiter, et admotis labris cya-

f s tho

tho paululum libans bibere se simulet: hoc ciuili nugoni satis erit. Qui si rusticus urgeat, polliceatur se tum reponsurum, quum adoleuerit. Quidam ubi uix bene conserderint, mox manus in epulas coniiciunt. Id luporū est, aut eorum qui de chytropode carnes nondum immolatas deuorant, iuxta proverbiū. Primus cibum appositum ne attingito, non tantum ob id quod arguit audiū, sed quod interdum cum periculo coniunctum est, dum qui feruidum inexploratum recipit in os, aut expuere cogitur, aut si deglutiat adurere gulam, utroq; ridiculus & que ac miser. Aliquantisper morandum, ut puer assuescat affectui temperare. Quo consilio Socrates ne senex quidem unquam de primo craterē bibere sustinuit. Si cū maioribus accūbit puer, postremus nec id nisi inuitatus manū admoueat patinæ. Digitos in iuſulēta imergere agrestium est, sed cultello fuscinaue tollat quod uult: nec id ex toto eligat disco, quod solēt liguritores, sed quod forte ante ipsum iacet sumat: quod uel ex Hō

I. p. si uero ad ci
bos paratos ap
positos manus
extendebant.

Oī δ' ἐπ̄ οὐειαδ̄ ἔτοιμα πγοκειμενωα χεροας ιαδδορ.

Id quoq; si fuerit insigniter elegas, alteri cedat, et qd' proximum est accipiat. Ut igitur intemperantis est in omnes patinæ plaga manum mittere, ita parum decorū patinam inuertere, quo ueniant ad te lautiora. Si quis aliis cibum porrexerit elegantiores, prefatus excusatunculam recipiat, sed resecta sibi portiuncula, reliquū offerat ei qui porrexerat, aut proxime absidenti communicet. Quod digitis excipi non potest, quadra excipiendum est. Si quis è placenta uel artocrea porrexit aliquid

aliquid cocleari, aut quadra excipe, aut cocleare porre=ctū accipe, & inuerso in quadrā cibo, cocleare redditio. Si liquidius est qd' datur gustandū sumito, & cocleare redditio, sed ad mātile extersum. Digitos uncios uel ore praelingere, uel ad tunicā extergēre pariter inciuile est, id mappa potius aut mantili faciendum. Integros bolos subito deglutire ciconiarū est, ac balatronū. Si quid ab alio fuerit resectum, inciuile est manum quadrāmū porrigere, priusquam ille structor offerat, ne uideare præri pere, quod alteri paratū erat. Quod porrigitur aut tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendū. Si qd' offer tur non cōgruit tuo stomacho, caue ne dixeris illud co= mici Clitiphonis, non possū pater, sed blande agito gra=tias. Est enim hoc urbanissimū recusandi genus. Si per=stat inuitator, uerecūde dicio aut non cōuenire tibi, aut te nihil amplius requirere. Discenda est à primis statim annis secādi ratio, nō supersticfa, qd' quidā faciunt, sed civilis & cōmoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter ceruix, aliter cratis, aliter capus, aliter phasia nus, aliter perdix, aliter anas, qua de re sigillatim præci pere, ut prolixū sit ita nec operæ preciū. Illud in uniuersum tradi potest, Apitiorū esse omni ex parte, quicquid palato blāditur abradere. Abs te semesa alteri porrige=re, parum honesti moris est. Panē prærosum iterum in ius immergere rusticā est. Sicut & cibum māsum fāc cibus eximere, & in quadram reponere, inelegans est. Nā si quid forte sumptum est, quod deglutiri non expe dit, clā auersus aliquò projicit. Cibū ambesum aut offa semel in quadram seposita repetere, uicio datur. Of=fa,

sa, aut si quid simile reliquum est, ne sub mensam abieceris, paucimētū cōspurcans, nec in mensā stragulan proīce, nec in patinam repone, sed in quadræ angulū seponē, aut in discū qui apud nonnullos reliquijs excipiendis apponitur. Canibus alienis de mēsa porrigere cibū, inespītae tribuitur: inceptius est illos in conuiuio contrectare. Oui putamen digitorum unguibus aut pollice repurgare ridiculū est: idem inserta lingua facere magis etiā ridiculū, cultello id fit decētius. Ossa dentibus arrodere canī nū est, cultello purgare ciuale. Tres digitū salino impreſsi, uulgari ioco dicūtū agrestiū insignia. Cultello sumēdū est salis quantum satis est. Si longius abest salinum, porrecta quadra petendū est. Quadram aut patinā cui saccarū aut aliud suave quiddam adhæſit, lingua lambeare felium est, nō hominū. Carnē prius minutim in quadra dissecet, mox addito pane simul aliquādiu mandat, priusquam traiçiat in stomachū. Id nō solum ad bonos mores, uerum etiam ad bonam ualeſudinem pertinet. Quidā dcuorāt uerius quam edūt, nō aliter quam mox, ut aiunt, abducendi in carcerem. Latronum est ea tuburcinatio. Quidā tantum simul in os ingerunt, ut utring; ceu folles tumeant buccę, alij mandendo diductu labiorū ſonitū edunt porcorum in morem. Nōnulli uorandi ſudio, ſpirant etiam naribus, quaſi præfocandi. Ore pleno uel bibere, uel loqui nec honestum eſt, nec tutum. Vicifitudo fabularum interuallis dirimat perpetuum eſum. Quidam citra intermiſſionem edunt bibūt i.e., non quod efuriant ſitiantū, ſed quod alioqui gemitus moderari non poſſunt, niſi aut ſcabant caput, aut ſcalpant dentes, aut gesti

gesiculentur manibus, aut ludant cultello, aut tuſiant,
aut screent, aut expuant. Ea res à rustico pudore pro-
fecta nō nullam insanie ſpeciem habet. Auscultandis alio-
rum sermonibus fallendū eſt hoc tædij, ſi nō datur opor-
tunitas loquendi. Inciuile eſt, cogitabundū in mensa ac-
cumbere. Quosdam autem uideas adeo ſtupentes, ut nec
audiāt quid ab alijs dicatur, nec ſe comedere ſentiāt, &
ſi nominatim appelles, uelut ē ſomno excitati uideantur.
Adeo totus animus eſt in patinis. Inurbanum eſt oculis
circumactis obſeruare quid quifq; comedat, nec decet in
quenquam conuiuarum diutius intentos habere oculos:
inurbanus etiā trāſuerſim hirquis intueri, qui in eodem
accūbunt latere: inurbanissimū, retorto in tergum capite
contemplari, quid rerū geratur in altera mensa. Effutire
ſi quid liberius inter pocula dictū factumue fit, nulli de-
corum eſt, nedum puer. Puer cū natu maioribus accū-
bens nunquā loquatur, niſi aut cogat neceſſitas, aut abs
quopiam inuitetur. Lepide dictis modice arrideat, obſcœ
ne dictis ne quando arrideat, ſed frontem contrahat ſi
præcellit dignitate qui dixit, ſed ita uultus habitum tem-
peret, ut aut nō audire, aut certe non intellexiſſe uidea-
tur. Mulieres ornat silentiū, ſed magis pueritiā. Quidā
respondent priuquam orationē finierit qui compellat,
ita ſepe fit, ut aliena respondens fit riſui, detq; ueteri lo-
cum prouerbio, ἔμας, ἀττίτση. Docet hoc rex ille ſa-
pietissimus, ſtultiæ tribuens respondere priuquam au-
diās, non audit autem qui non intellexit. Si minus intelle-
xit percontantem, paulisper obticeſcat, donec ille quod
dixit ſponte repetat. Id ſi nō facit, ſed reſpoſum urget,

blande

blande ueniam præfatus puer, oret ut quod dixerat dicat denuo. Intellecta percōtatione, paululum interponat moræ, deinde tū paucis respondeat tū iucunde. In conuiuio nihil effutiendū, quod offuscat hilaritatem. Absentium famā ibi ledere piaculum est. Nec cuiquā illic suus refri cādus est dolor. Vituperare quod appositū est, incivilatati datur, et ingratum est conuiuatori. Si de tuo præbetur conuiuiū, ut excusare tenuitatem apparatus urbanū, ita laudare aut cōmemorare quāti considerint, insuauē projecto condimētum est accumbentibus. Deniq; si quid à quoquā in cōuiuio fit rusticius per imperitiā, ciuiliter disimulandū potius quam irridendum. Decet compotationem libertas. Turpe est, sub diuum, ut ait Flaccus, rapere, si quid cui super coenā excidit incogitatiū. Quod ibi fit dicitur ue, uino inscribendum, ne audias, μνάμωνα συμπόταμ. Si cōuiuiū erit quā pro puerili ætate prolixius, et ad luxū tēdere uidebitur, simul atq; senseris naturæ factum satis, aut clā, aut ueniā precatus te subducito. Qui puerilē ætatem adigūt ad inediā, mea quidē sententia insaniunt, neq; multo minus ij qui pueros immodico cibo diffōciūt. Nā ut illud debilitat tene ri corpusculi uiriculas, ita hoc animi uim obruit. Modēratio tamen statim est discenda. Citra plenā saturitatē reficiendum est puerile corpus, magisq; crebro quam copiose. Quidam se saturos nesciunt, nisi dum ita distentus est uentriculus, ut in periculum ueniant ne dirumpatur, aut ne per uomitum reijciat onus. Oderunt liberos qui illos etiamnum teneros coenis in multam noctem producis perpetuo sinunt aſcidere. Ergo si surgendum erit à proli

prolixiore conuiuio, quadram tuam cum reliquijs tollito, ac salutato qui uidetur inter cōiuas honoratissimus, mox & alijs similijs discedito, sed mox redditurus, ne uideare lusus aut alterius parum honestae rei gratia te subduxisse. Reuersus ministrato si quid opus erit, aut reuerenter mēsē assistito, si quis quid iubeat expectas. Si quid apponis aut submoues, uide ne cui ueste iure perfundas. Candelā emuncturus, prius illam ē mensa tollito, quodq; emunctū est, protinus aut harenē immergito, aut solea proterito, ne quid ingrati nidoris offendat narres. Si quid porrigis infundis ue, lēua id facias caueto. Iuſsus agere gratias, cōpone gestus, paratu te significās donec silētibus cōiuis dicēdi tēpus adfuerit. Interim uultus ad cōiuio p̄fīdētē reuerēter uersus sit et cōstāter,

D E C O N G R E S S I B V S.

Si quis occurrerit in uia, uel senio uenerādus, uel religione reuerēdus, uel dignitate grauis, uel alioqui dignus honore, meminerit puer de uia decedere, reuerēter apērire caput, nō nihil etiā flexis poplitibus. Ne uero sic cogitet, quid mihi cū ignoto, quid cū nihil unquā bene de me merito? Non hic honos tribuitur hoī, nō meritis sed deo. Sic deus iuſsit per Solomonem, qui iuſsit assurgere cano: sic per Paulum qui presbyteris duplicatum honorem præcipit exhibere, in summa, omnibus præstare honorem quibus debetur honos, cōpleteſt etiam ethnicum magistratum: & si Turca, quod abſit, nobis imperet, peccaturi ſimus si honorem magistratui debitum illi negemus. De parentibus interim nihil dico, quibus ſe-

cun

cundū deum primus debetur honos. Nec minor preces
ptoribus, qui mentes hominū quodammodo dū formant,
generant. Iā & inter æquales illud Pauli locum habere
debet, honore inuicem præueniētes. Qui parē aut inferio
rē honore præuenit, nō ideo fit ipse minor, sed ciuilior,
& ob id honoratior. Cum maioribus reuerēter loquen
dū & paucis, cū æqualibus amāter et comiter. Inter lo
quēdum pileum lēua teneat, dextra leuiter admota umbi
lico: aut qd' decētius habetur, pileū utraq; manu iuncta
suspensum, pollicibus eminentibus, tegat pubis locū. Li
brū aut galerū sub axilla tenere rusticus habetur. Pudor
adſit, sed qui dēcoret, non qui reddat attonitum. Oculi
ſpectent eum cui loqueris, sed placidi simplicesq; nihil
procax improbumue præſe ferentes. Oculos in terram
deiſcere, quod faciūt catoblepæ, malæ cōſciētiae ſuspicio
nem habet. Trāſuerſim tueri, uidetur aduersantis. Vultū
huc illuc uoluere, leuitatis argumentū est. Indecorum eſt
interim uultum in uarios mutare habitus, ut nūc corru
getur nasus, nunc cōtrahatur frons, nunc attollatur ſu
perciliū, nūc diſtorqueātur labra, nūc diducatur os, nūc
prematur, hæc animū arguunt Protei ſimilem. Indecorū
& illud, concuſſo capite iactare comam, ſine cauſa tuſ
ſire, ſcreare, quemadmodū & manu ſcabere caput, ſcal
pere aureis, emungere naſum, demulcere faciē, quod eſt
ueluti pudorem abſtentis, ſuffricare occipitum, hu
meros adducere, quod in nonnullis uidemus Italis. Rota
to capite negare, aut reductio accersere, & ne perſe
quar omnia, gestibus ac nutibus loqui, ut uitrum inter
dū deceat, puerū minus decet. Illiberale eſt iactare bra
chia,

chia, gesticulari digitis, uacillare pedibus, breuiter non lingua, sed toto corpore loqui, quod turturū esse fertur, aut motacillarum, nec multū abhorrens à picarū moribus. Vox sit mollis ac sedata, nō clamosa, quod est agricolarū, nec tam pressa, ut ad aures eius cui loqueris nō perueniat. Sermo sit nō præceps, ex mentē præcurrens, sed latus ex explanatus. Hoc etiam naturalem battarissimum, aut hæsitantiam, si non in totū tollit, certe magna ex parte mitigat, quum præcipitatus sermo multis uiciū conciliet quod non dederat natura. Inter colloquendum subinde titulum honorificum eius quē appellas repeatere ciuitatis est, Patris ac matris uocabulo nihil honorificentius, nihil dulcius, Fratris sororis uero nomine nihil amabilius. Si te fuijunt tituli peculiares, omnes eruditi sunt tibi præceptores obseruandi, omnes sacerdotes ac monachi, reuerendi patres, omnes aequales, fratres ex aucti, breuiter omnes ignoti domini, ignotæ dominæ. Ex ore pueri turpiter auditur iusjurandū, siue iocus sit, siue res seria. Quid enim turpius eo more, quo apud nationes quasdam ad tertium quodq; uerbū deierat etiā puellæ, per panē, per uinū, per candelā, per quid non? Obscenis dictis, nec lingua præbeat ingenuus puer, nec aures accommodet. Deniq; quicquid inhoneste nudatur oculis hominum, indecēter ingeritur auribus. Si res exigat, ut aliquod membrum pudendum nominetur, circumitione uerecunda rem notet. Rursus si quid inciderit, quod auctor iauseam ciere posset, uelut si quis narret uomitū, aut latrinā, aut oletū, prefetur honorē auribus. Si quid refellendū erit caue dicat, haud uera prædicat, præser-

g tim

tim si loquatur grādiori natu, sed prefatus pacē, dicat, mihi secus narratū est à tali. Puer ingenuus cū nemine contentionē suscipiat, ne cū æqualibus quidem, sed cedat potius uictoriā si res ad iurgium ueniat, aut ad arbitrū prouocet. Ne cui se præferat, ne sua iactet, ne cuiusquā institutū reprehendat, aut ullius nationis ingenium mōres ue suggilct, ne quid arcani creditū euulget, ne no= uos spargat rumores, ne cuius obrectet famę, ne cui probro det, uitiū natura insitū. Id enim nō solum contumeliosum est ex inhumanū, sed etiā stultū, ueluti si quis luscum appellet luscum, aut loripedē loripedē, aut strabum strabum, aut nothū nothum. His rationibus fiet, ut sine inuidia laudē inueniat, ex amicos pares. Interpellare loquentē antequam fabulā absoluerit, inurbanum est. Cū nemine simultatem suscipiat, comitatē exhibeat omnibus, per paucos tamen ad interiorē familiaritatē recipiat, eosq; cum delectu. Ne cui tamen credat quod tacitum uelit. Ridiculum enim est ab alio silentij fidē experītare, quā ipse tibi non præstes. Nullus autem est adeo lingue cōtinentis, ut non habeat aliquē, in quem transfundat arcanum. Tutiſimū autē est nihil admittere, cuius te pudeat si proferatur. Alienarum rerum ne fueris curiosus, ex si quid forte confixeris audieris ue, fac quod scis nescias. Literas tibi non oblatas limis intueri parū ciuile est. Si fors te præsente scrinium suū aperit aliquis, subducito te. Nam inurbanū est inspicere, cōtētare aliquid inurbanius. Itē si senseris inter aliquos secretius oriri colloquium, submove te diſsimulāter, ex in eiusmodi colloquiū ne temet ingeras non accitus.

De

D E L V S V.

In lusibus liberalibus adsit alacritas, absit peruicacia rixarū parens, absit dolus, ac mendaciū. Nā ab his rudimentis proficitur ad maiores iniurias. Pulchrius uincit qui cedit cōtentioni, quām qui palmā obtinet. Arbitris ne reclamata. Si cū imperitoribus certamen est, possisq; semper uincere, nōnunquā te uinci patere, quo ludus sit dacier. Si cū inferioribus luditur, ibi te superiorē esse nescias. Animū causa ludendum est, non lucri gratia. Aiunt puerorū indolem nusquā magis apparere, quām in lusu. Si cui ad dolos, ad mendacium, ad rixam, ad irā, ad uiolentiam, ad arrogantiā propensius ingenium, hic emicat naturae uicum. Proinde puer ingenuus nō minus in ludo quām in conuiuio sui similis sit.

D E C V B I C V L O.

In cubiculo laudatur silentium & uerecūdia. Certe clamor & garrulitas indecora est, multo magis in lecto. Siue cum exuis te, siue cū surgis, memor uerecūdiae: caue ne quid nudes aliorū oculis, quod mos & natura tectū esse uoluit. Si cum sodali lectum habes cōmunem, quietus iaceto, neq; corporis lactatione uel teipsum nudes, uel sodali detractis pallijs sis molestus. Priusquām reclines corpus in cervical, frontē & pectus signa crucis imagine, breui precatiūcula temet Christo cōmēdās. Idē facito quū mane primū temet erigis, à precatiūcula diē auspicans. Nō enim potes ab omni feliciore. Simul ac exoneraueris aluū, ne quid agas, nisi prius lota facie manibusq; & ore proluto. Quibus cōtigit bene nasci,

g 2 his

his turpe est generi suo nō respondere moribus. Quos fortuna uoluit esse plebeios, humiles, aut etiā rurestres, his impensis etiam admittendum est, ut quod sors inuidit, morum elegantia persent. Nemo sibi parentes aut patriam eligere potest, at ingenium moresq; sibi quisq; potest fingere. Colophonis uice addam praeceptiunculam, que mihi uidetur propemodum primo digna loco. Maxima ciuitatis pars est, quum ipse nusquam delinquas, aliorum delictis facile ignoscere, nec ideo sodalem minus habere charum, si quos habet mores inconditiores. Sunt enim qui morum ruditatem, alijs compensent dotibus. Neq; hec ita precipiuntur quasi sine his nemo bonus esse possit. Quod si sodalis per inscitiam peccet in eo sane, quod alicuius uidetur momenti, solū ac blande monere ciuitatis est.

Hoc quicquid est muneric fili charissime, uniuerso puerorum sodalitio per te donatum esse uolui, quo statim hoc congiario simul ex commilitonum tuorum amicos tibi concilias, ex illis liberalium artium ac morum studia cōmendes. Praeclaram indolem tuam Iesu benignitas seruare dignatur, semperq; in melius prouuehere. Datum apud Friburgum Brisgoie,
Mense Martio, Anno
M, D. XXX.

D.Eras

DR ERASMVS

~~RO~~ PETRO VITERIO,
Liberalium disciplinarum professo=
ri eximio S. D.

NAE TV rem istā, mi Petre suauis= sime, & perspicis acute, & grauiter uereq; iudicas, plurimum referre, qua ratione, quoq; ordine quid instituas, idq; maximū habere momentū, cum cæ teris in rebus omnibus, tum uero præcipue in bonarum studijs literarū. An non uidemus ingētia pondera, si ar tem adhibeas, minimo tolli negotio, que nullis alioqui uiribus moueri poterant? Quemadmodū & in bello nō perinde refert, quantis copijs, quantisq; uiribus hostem adoriaris, ut quam probe instructo exercitu, quo cōfilio, quoq; ordine pugnā capessas. Ac multo celerius quo tendūt, perueniunt ij, qui semitas cōpendiarias norunt, quam qui annē, ut ait Plautus, ducē sequuntur, & uel cō tempto Pythagora φιλασφόρος ingrediuntur, uel ua= rijs etiā errorū ambagibus circumaguntur. Proinde ro= gas, ut tibi studiorū ordinē, ac uiam, formamq; præscri= bam, quā tu, ueluti Thesci filū secutus, & in autorū la= byrinthis citra errorē uersari queas, & ad eruditionis summā celerius emergere, uel magis aliorū studijs cōsu= lere, quos bonis literis instituis, quādoquidē ipse īā pro= pēmodū ad eruditionis fastigiu peruenisti. Evidē pro mea certe uirili nō grauatim parebo homini tam amico,

g 3 ut

ut nephas sit quiduis etiā flagitanti negare, nedum rem tam honestam, tamq; frugiferā. Quod si senseris nostrū hoc cōsiliū tibi cōmodo fuisse, tui candoris erit, & alijs ad bonas literas enitentibus, digito uiam indicare.



RINCIPIO duplex omnino ui detur cognitio, rerum, ac uerborū. Verborum prior, rerū potior. Sed nonnulli dum ἀνίπτοις, ut aiunt, ποτὶ π ad res discendas festinant, ser monis curā negligunt, & male affe ctato compendio, in maxima incident dispendia. Etenim cum res non nisi per uocū notas cognoscantur, qui ser monis uim nō callet, is passim in rerū quoq; iudicio cæ cutiat, hallucinetur, deliret necesse est. Postremo uideas nullos omniū magis ubiq; de uoculis cauillari, quàm eos qui iactitant sese uerba negligere, rem ipsam spectare. Quapropter utroq; in genere statim optima, & quidē ab optimis sunt discenda. Quid enim stultius, quàm magno labore discere, quæ postea maiori cogarī dedisse re? Nihil autē facilius dicitur, quàm quod rectū, ac uerū est. At praua si semel inhæserint ingenio, dictū mirū quàm nō possint reuelli. Primū igitur locū Grammatica sibi uēdicat, eaq; protinus duplex tradēda pueris, Græca uidelicet, ac Latina. Non modo quod his duabus linguis omnia fermè sunt prodita, que digna cognitu uideantur, uerū etiam quod utraq; alteri sic affinis est, ut ambæ citius percipi queant cōunctim, quàm altera sine altera, certe quàm latina sine græca. A græcis auspiciari nos

nos manuit Quintilianus, sed ita, si his literis perceptis, nō longo interuallo latinæ succedant, sanè utrasq; pari cura tuēdas esse monet, atq; ita futurū, ut neutræ alteris officiat. Ergo utriusq; linguae rudimēta et statim, et ab optimo præceptore sunt haurienda: qui si forte non cōtingat, tum (quod est proximū) optimis certe utendum autoribus, quos equidē per paucos, sed delectos esse uelim. Inter græcos Grāmaticos nemo nō primū locū traxit Theodoro Gazæ, proximū mea sentētia Constantinus Lascaris sibi iure suo uendicat. Inter latinos uetustiores Diomedes. Inter recentiores haud multū video discriminis, nisi quod Nicolaus Perottus uidetur omniū diligentissimus, citra superstitionem tamen. Verū ut huiusmodi præcepta fateor necessaria, ita uelim esse quantū fieri posse, quam pauciſſima, modo sint optima. Nec unquā probauit literatorū uulgaris, qui pueros in his inculcāndis complures annos remorantur. Nam uera emēdate loquendi facultas optime paratur, cū ex castigate loquentiū colloquio conuictuq; tum ex eloquentiū autorum aſſidua lectione, ē quibus ij primum ſunt imbibendi, quorū oratio præter quam quod est castigatissima, argumenti quoq; illecebra aliqua diſcentibus blandiatur. Quo quidē in genere primas tribuerim Luciano, alteras Demostheni, tertias Herodoto. Rurſum ex Poëtis primas Aristophani, alteras Homero, tertias Euripidi. Nam Menandrum, cui uel primas daturus eram, desideramus. Rurſum inter latinos quis utilior loquēdi autor quam Terētius? purus tersus, et quotidiano sermoni p̄sumus, tum ipso quoq; argumēti genere iucundus adō-

g 4 leſcen

lescentia. Huic si quis aliquot selectas Plauti comedias
putet addendas, quæ uacent obscenitate, equidem nihil
repugno. Proximus locus erit Vergilio, tertius Horatius,
quartus Ciceroni, quintus C. Cæsari. Sallustiū si quis
adiungendum arbitrabitur, cum hoc nō magnopere cō
tenderim, atq; hos quidem ad utriusq; linguae cognitio=
nem satis esse duco. Neq; enim mihi placent, qui in euol=
uendis hunc in usum autoribus, etiam quibuslibet, uitam
omnem cōterunt, prorsus infantem existimātes eum, quē
ulla chartula suffugerit. Ergo parata sermonis faculta=
te, si non luxuriosa, certe casta, mox ad rerū intelligen=
tiam conferendus est animus. Tametsi ex his etiam scri=
ptoribus, quos expolienda linguae gratia legimus, non
mediocris obiter rerum quoq; cognitio percipitur, uerū
ex instituto omnis ferè rerum scientia à Græcis auto=
ribus petēda est. Nam unde tandem haurias uel purius,
uel citius, uel iucundius quam ab ipsis fontibus? Sed quo
ordine disciplinæ descendæ sint, et ex quibus potissimum
præceptoribus, id aliâs fortasse rectius ostendemus. In=
terim ad prime etatis studia reuertamur. Ut igitur ex
his autoribus unde linguae copiam petendā esse diximus,
fructum capias et maturius, et ubiorem, Laurentium
Vallam tibi censeo diligenter euoluendum, qui de latini
sermonis elegantia scripsit elegantiſime. Huius adiutus
præceptionibus, ipse per te non pauca annotabis. Neq;
enim te uelim per omnia uelut addictum, Laurentia=
nis seruire præceptis. Adiuuabit hoc quoq; si figuræ
grammaticas à Donato ac Diomede traditas edidice=
ris, si carminis leges ac formas omnes tenueris, si rheto=
rices

rices summam, hoc est propositiones, Locos probatum, exornationes, amplificationes, transitionū formas in promptu habueris. Conducunt enim hæc nō solum ad iudicandum, uerum etiam ad imitandum. His itaq; rebus instructus inter legendū autores non oscitarer obseruabis, si quod incidat insigne uerbū, si quid antique aut noue dictum, si quod argumentum, aut inuentum acute, aut tortum apte, si quod egregium orationis deus, si quod adagium, si quod exemplum, si qua sententia digna quæ memorie commendetur. Isq; locus erit apta notula quapiam insigniendus. Notis enim non solum uarijs erit utendum, uerum etiam accommodatis, quo protinus quid rei sit, admoneant. Ad hæc si quis dialeticen addendam statuet, non admodum refragabor, modo ab Aristotele eam discat, non ab isto loquacissimo sophistarum genere, neque rursus ibi desideat, & uelut ad scopulos (ut inquit Gellius) sirenae consenserat. Verum illud interim memineris, optimum dicendi magistrum esse stilū. Erit hic igitur in carmine, in oratione libera, in omni argumenti genere diligenter exercendus. Neque negligēda memoria, lectionis thesaurus. Eam tamen si locis & imaginibus adiuuari nō inficior, tamen tribus rebus potissimum cōstat optima memoria, intellectu, ordine, cura. Si quidem bona memorie pars est, rem penitus intellexisse. Tum ordo facit, ut etiā quæ semel exciderint, quasi postliminio in animum reuocemus. Porro cura omnibus in rebus, non hic tantum plurimum ualeat. Itaque quæ minime uelis, ea sunt attenti, ac crebrius relegenda, deinde sèpius à nobis ipsis

exigenda, ut si quid forte suffugrit, id restituatur. Illud minutius, sed tamen haud indignum quod admoneatur. Adiuuabit non mediocriter, si quorum necessaria quidem, sed subdifficilis erit memoria, ueluti locorum quos tradunt Cosmographi, pedum metriconum, figurarum grammaticarum, genealogiarum, aut si qua sunt similia, ea quam fieri potest breuissime simul et luculentissime in tabulas depicta, in cubiculi parietibus suspendantur, quo passim et aliud agentibus sint obuia. Item si quædam breuiter, sed insigniter dicta, uelut apophthegmata, prouerbia, sententias in frontibus atq; in calcibus singulorum codicum inscribes, quædam annulis, aut poculis insculpes, nonnulla pro foribus, et in parietibus, aut uitreis etiam fenestris depinges, quo nusquam non occurrat oculis, quod eruditioiem adiuuet. Hæc enim tametsi singula per se pusilla uidentur, tamen in unū collata aceruum, doctrina thesaurum lucro augent, haud quaquam negligendo τῷ εἰς ἀφενον ταύτην, id est, his opibus properanti ditescere. Postremo illud non ad unum aliquid, sed ad omnia simul plurimum conducet, si frequenter aliquos quoque doceas. Nusquam enim melius deprehenderis quid intelligas, quid non.

Atque interim noua quædam occurunt commentanti,
diferentiq; nihil non
altius infigitur
animo.

DE RATIONE INSTI-
tuendi discipulos.



ED video te cupere, ut de docen-
di quoq; ratione nonnihil attin-
gamus. Age mos geratur Vite-
rio, quanquam video Fabiū hisce
de rebus diligētissime præcepisse,
adeo ut post hunc de ijsdē scribe-
re prorsus impudentissimū esse ui-
deatur. Ergo qui uoleat instituere quēpiam, dabit operā,
ut statim optima tradat, uerū qui rectissime tradat opti-
ma, is oīa sciat necesse est: aut si id hoīis ingenio negatū
est, certe uniuscuiusq; disciplinæ præcipua. In hoc nō ero
contētus decē illis, aut duodecim autoribus, sed orbē illū
doctrinæ requiram, ut nihil ignoret etiā qui minima pa-
rat docere. Erit igitur huic per omne scriptorū genus
uagādum, ut optimū quēq; primū legat, sed ita, ut nemī
nē relinquat ingusatū, etiā si parū bonus sit autor. Atq;
id quo cumulatiore fructu faciat, ante locos & ordines
quosdā, ac formulas in hoc paratas habeat, ut qcqd us-
quā inciderit annotādū, id suo aſcribat ordini. Sed hoc
qua rōne fieri oporteat, in ſecūdo de copia cōmētario de-
moſtrauimus. Verū si cui uel ocīu, uel libroruū copia de-
fuerit, plurima Plinius unus ſuppeditabit, multa Macro-
bius, et Athenaeus, uaria Gellius. Sed in primis ad fontes
ipsos properādū, id est, grēcos et antiquos. Philosophiā
optime docebit Plato, et Aristoteles, atq; huius discipu-
lus Theophrastus, tū utrinq; mixtus Plotinus. Ex Theo-
logiſ ſecūdū diuinās literas, nemo melius Origene, nemo
ſubti-

subtilius aut iucundius Chrysostomo, nemo sanctius Basilio. Inter latinos duo duntaxat insignes in hoc genere, Ambrosius mirus in allusionibus, et Hieronymus in arca nis literis exercitatisimus. Quod si minus uacabit immo rari singulis, omnes tamē censeo degustandos, quoru in præsentia catalogum texere, non estratio. Certe propter Poëtarum enarrationem, quibus mos est, ex omni disciplinarum genere sua temperare, tenenda est fabularum uis, quam unde potius petas, quam ab Homero, fabularum omnium parente? Tamet si Metamorphoses, ac Fasti Nasonis non leue momentum adserent, quanquam latine scripti. Tenenda Cosmographia, que in historijs etiam est usui, nedum in poëtis. Hanc breuissime tradit Pomponius Mela, doctissime Ptolemaeus, diligentissime Plinius. Nam Strabo non hoc tantum agit. Hic præcipsa pars est obseruasse quæ montium, fluminum, regiounum, urbium, uulgo recepta uocabula, quibus antiquis respondeant. Eadem debet esse cura in arborum, herbarum, animantium, instrumentorum, uestium, gemmarum nominibus, in quibus incredibile dictu, quam nihil intelagit literatorum uulgs. Horum notitia partim è diuersis autoribus, qui de re rustica, de re militari, de architectura, de re culinaria, de gemmis, de plantis, de naturis animalium conscripserunt, colligitur. Quanquam Julius Pollux ex professo de rerum uocabulis tradidit, que utinam tam accurate distinxisset, quam congesit copiose: partim ex etymologijs, partim ex his linguis, que prisci sermonis & incorrupti manifesta uestigia seruant in hanc usque etatem, cuiusmodi lingua Constanti

stantinopolitanorum, Italorum, et Hispanorum, nam Gallorum oratio longius degenerauit. Tenenda antiquitas, que non modo ex uetusis autoribus, uerum etiam è nomismatis priscis, è titulis Sacrisq; colligitur. Ediscenda et Deorum genealogia, quibus undiq; resertæ sunt fabule, eam post Hesiodum felicius quam pro suo seculo tradidit Boccatus. Non ignoranda astrologia, quod hanc passim suis figmentis aspergunt Poëtae, praesertim Higini. Tenenda rerum omnium uis, atque natura, propterea quod hinc similia, epitheta, comparationes, imagines, metaphoras, atque alia id genus schemata solent mutuo sumere. In primis autem omnis tenenda est historia, cuius usus latissime patet, non tantum in poëtis. Nam si quis Prudentium, unum inter Christianos uere facundum Poëtam uolet enarrare, literas etiam arcanas calleat oportet. Postremo nulla disciplina est, nec militiae, nec rei rusticæ, nec musices, nec architecturæ, que non usui sit ijs, qui Poëtas, aut oratores antiquos suscepserint enarrantos. Sed uideo iamdudum frontem cōtrahis. Nætu inquis, immēsum onus imponis etiam literatori. Onebro sanè, sed unum, ut quam plurimos exonerem. Volo ut unus euoluat omnia, ne singulis uniuersa sint euoluenda.

Iam uero de formando puerorum ore, deq; tradendis ceu per lusum, iocumq; literarum figuris, satis præcepit Fabius. Evidem post tradita elementa prima, malim ad usum loquendi statim uocari puerū. Etenim cum intra pauculos menses, quamuis barbarem linguam ætas ea sonet, quid uctat quo minus idem fiat in lingua græca siue latina? Verum id nec in magno puerorum grege lo-

cum

cum habet, ex domesticam preceptoris consuetudinem requirit. Quanquam in ludo quoque dabit operam, ut siue pluribus loquatur, siue scorsim uni, quam potest emendatissime dicat. Quedam obiter interpretetur, ex ut imitentur, admoneat. Loquentes illos aliquoties collaudet si quid dictum erit aptius, aut emendet, cum errabunt. Ea res efficiet, ut illi quoque consuecant circumspectius et accuratius loqui, et preceptorem loquenter attentius obseruent. Iuuabit ex illud, si propositis premiolis, aut poenis, uelut ex lege prouocentur, ut ipsi quoq; inter sepe alius alium emendent. Porro preceptor eruditiores aliquot deligit, qui controversiam finiant. Neq; fuerit inutile, ceu formulas aliquot proponere pueris, quibus orationibus in lusu, quibus in congressu, quibus in conuiuijs uti debeant. Has sic oportet esse doctas, ut simul et faciles sint, et iucundae. Porro doctor ille diligens et doctus, acriq; iudicio, non grauabitur, collatis omnibus Grammaticorum preceptis, excerpere quedam, et simplicissima, quod quidem fieri potest, et breuissima, tum ordine quam maxime cōmodo. Posteaquam ea tradidit, statim ad autorem aliquem ad id accommodatissimum, ac loquendi, scribendiq; consuetudinem uocetur. Hic preceptiones ante traditas ut incident, exemplaque diligenter inculcat, quibus etiam addet nonnihil, uelut iam tum ad maiora preparas. Hinc iam thematijs exerceri debent. In quibus illud in primis cauedum, ne (quod fieri solet) aut sensu sint inepto, aut sermone insulso, sed argutam aliquam, aut uenustam habeant sententiam, quae tamen ab ingenio puerili non nimium abhorreat,

borreat, ut interim aliud agentes, simul et aliquid discant, in grauioribus studijs usui futurum. Habeat igitur thema, quod pueris proponet, aut historiam memorabilem. Quod genus sunt illa: Marcelli præceps calor rem Romanam subuertit, Fabij prudens cunctatio restituit. Quanquam hic subest etiam sententia, nimurum præcipita consilia parum feliciter euenire solere. Item, difficile iudicatu sit, uter altero fuerit stultior, Crates qui aurum abiecit in mare, an Midas qui existimauit nihil auro melius esse. Item, Demostheni ac Ciceroni immodica eloquentia exitio fuit. Rursum, nulla laus Codri regis meritis par esse potest, qui ciuium salutem propriæ uitæ dispensio redimendam putauit. Sed non magni negotij fuerit huiusmodi uim ex historiographis, præcipue Valerio Maximo, colligere. Aut fabulâ habeat, ut illud: Hercules expugnandis monstribus immortalitatem sibi parauit. Muse fontibus ac nemoribus unice gaudent, à fumis urbibus abhorrent. Aut apologum, ut recte docuit Cæsara non esse committendum amicis negocium, quod per te possis confidere. Item, manticam pectore propensionem uident omnes, eam, quæ à tergo pendet, uidet nemo. Item, Sapiebat uulpes, quæ maluit muscas iam proape saturas retinere, quam his expunctis, uacuas ac fistientes admittere, quæ quicquid reliquum esset sanguinis, epotarent. Aut apophthegma, ut, Longe dissenterebat à uulgo nostræ ætatis, qui maluit uirum absque pecunia, quam pecuniam sine uiro. Item: Iure Socrates contemnit eos, qui non edunt ut uiuant, sed uiuunt ut edant. Merito non probauit Cato eos, qui plus sapiunt palato,

palato, quam animo. Aut proverbum, ut: Ne sutor ultra crepidam. Et non cuiuslibet est hominis Corinthum nauigare. Ac nos quidem editis tot Chiliadibus, efficiamus, ne difficilis esset horum inuentio. Aut sententiam, ut Nihil carius constat, quam quod precibus emitur. Et obsequium amicos, ueritas odium parit. Et amici, qui procul absunt, amici non sunt. Aut rei cuiuspiam insignem naturam, ut Magnes ad se ferum attrahit, Maphtha ignem. Item palme ea est natura, ut pondere imposito, non modo non deprimatur ad terram, ueruetiam sursum natatur, et altius erigat se. Item mirum Polypi ingenium, qui ad speciem subiecti soli mutat colorem, quo fallat insidias pescatoris. Aut figuram eximiam, puta generationem. Diuitiae luxum parunt, luxus saturitatem, saturitas ferociam, ferocia odium multorum, odium perniciem. Aut similitudinem, ut, quemadmodum ferrum si exerceas, usu atteritur: si non exerceas, exeditur rubigine. Ita ingenium si exerceas, labore absumitur: si non exerceas, magis otio, situque leditur. Aut allegoriam, ut non est addendus ignis igni, non est addendum oleum incendio. Aut commutationem, ut non ideo te talem iudico, quod uehementer amem, sed ideo uehementer amo, quod talem iudicarim. Aut distributionem, Stultior est, quam ut possit tacere, infantior, quam ut possit loqui. Simplior est, quam qui possit mentiri: grauior, quam ut uelit. Sed mihi sat est indicasse tantum. Aut exquisitam aliquam elegantiam. Cuius rei non est necesse pone re exemplum. Nihil autem obstat, quo minus plures commoditates in candem incident orationem, ueluti sententia,

ſententia, historia, prouerbiū, et figura. Ergo preceptor, quē oportet affidue in bonis autoribus obuersari, huiusmodi ceu flosculos undiquaq; colliget, eosq; delectos proponet, aut etiam in eam formam demutabit, ut puerorum ingenij sint accōmodati. Postquām his rebus ad aliquantam sermonis peritiam prouectus erit puer, tum ſi uidebitur, ad maiora grāmatices praecepta reuocetur, que per locos et ordines quosdam ita tradenda ſunt, ut primo loco ſimpliciſſima proponātur, eaq; paucis. Deinde utcunq; adoleſcunt diſcentiū ingenia, ita maiora ſuis queq; locis oportebit ſubijcere. Is ordo cuiusmodi fit, ē Theodori Gazæ Grāmatica exemplum ſumas licebit. Nec in his tamē uelim eos detineri longius, ſed illico ad autores grauiores reuocari. Præfertim ſi prius ſummam illam, de qua dixi, rhetorices, ac figurās, et carminum formas teneant. Interim thematis quoq; difficultioribus ſunt exercēdi, in quibus delegendis ac narrandis, diligentem ac doctum præceptorem requiram. Qui ſi fit mediocris, modo fit idem modestus, non grauitabitur hec ab alio doctiore petere. Thematum autem formæ huiusmodi ferè poſſunt eſſe. Nunc epistolæ breuis argumētum, ſed argutum, lingua uulgari proponat, latine græce ūe, aut utroq; ſermone tractandum. Nunc apoloſum, nunc narratiunculam non insipidam, nunc ſententiam ex quatuor constantem partibus, utriq; duarum ſimili aut ratione ſubiecta. Nunc argumentationem quinque tractandam partibus, nunc dilemma duabus, nunc expolitionem quam uocant, ſeptem partibus explicandam. Aliquando tanquam ad rhetorica præludientes

b dentes

dentes, unum aliquod membrorum seorsum tractet. Cu-
iusmodi progymnasmata scripsit Aphthonius. Aliqua-
do laudem, uituperationem, fabulan, similitudinem, com-
parationem. Aliquando figuram, uel descriptionem, di-
stributionem, sermocinationem, subiectionem, notationem.
Aliquoties iubeatur cārmen aliquod soluere. Aliquoties
solutam orationem pedibus alligare. Interim Plinianam
aut Ciceronis epistolam, uerbis ac figuris imitentur.
Nonnunquam eandem sententiam variatis uerbis ac fi-
guris, sēpius efferrant. Nonnunquam eandem grāce si-
mul ac latine metro ex oratione prosa uariant. Non-
nunquam eandem quinq; aut sex carminum generibus,
quæ doctor prescriperit, explicit. Nonnunquam sen-
tentiam eandem per locos, quām plurimos ac schemata
diffingant. Plurimum autem fructus est in grācis uerten-
dis. Quare conuenit eos, hoc in genere sēpiissime ac di-
ligentissime exerceri. Nam simul ex exercetur ingenium
in deprehēdendis sententijs, et utriusq; sermonis uis ac
proprietas penitus inspicitur, et quid nobis cum grā-
cis cōmune sit, quid non, deprehenditur. Deniq; ad red-
dendam grācanicam emphasim, omnes latinæ lingue
opes excutias oportet. Hæc si initio pueris difficultia ui-
debuntur, tum usū fient faciliora, tum præceptoris inge-
nium, ac studium, bonam negocij partem pueris adinet,
indicatis que putet esse supra uires illorum. Atq; ijs ina-
terim exercitamentis crebræ prælectiones autorum mi-
scantur, ut suppetat quod imitentur. Quanquam is,
qui docet, proposito themate, simul uerborum quoq;
et figurarum copiam debet indicare. Sub hæc ad inue-
niendi

niendi quoq; laborem prouocentur, ita propositis nua-
dis argumentis, ut suo quisq; Marte reperiat, que per-
tinebunt ad rem tractandam, ornandam, locupletandam.
Et hic delectum ac uarietatem requiram à præceptoris
eruditu diligentia, gustum interim exhibeo. Sæpius ar-
gumentum epistole proponet suasorie, dissuasorie, ex-
hortatorie, dehortatorie, narratoriæ, gratulatorie, ex-
postulatorie, cōmendatoriæ, consolatoriæ. Et uniuscui
iusq; generis naturam locos ac formulas quasdam com-
munes, dein arguento proposito, etiam peculiares in-
dicabit. Aliquando ceu declamatorium thema dabit, in
diuersis generibus, puta si iubeat eos uituperare Iulium
Cæsarem, aut laudare Socratem, in genere demonstrati-
uo. Item statim optima discenda. In opibus non esse feli-
citatem. Matrem proprio lacte nutrire debere quod pe-
perit. Literis græcis non esse dandam, aut esse dandam
operam. Vxorē esse ducendam, aut non esse ducendam.
Peregrinandum esse, aut non esse peregrinandum, in ge-
nere suasorio. Item M. Horatium indignum esse sup-
plicio, in genere iudicali. Verum hanc palestram pri-
mum ingredientibus non grauabitur is, qui docēdi pro-
uinciam suscepit, primum indicare, quot propositioni-
bus id argumentum tractari possit. Præterea proposi-
tionum ordinē demonstrabit, & quo pacto alia ex alia
pendeat. Deinde quot rationibus unaquæq; propositio
fulciri debet, quot confirmationibus unaquæque ratio.
Tum circumstantias ac locos, unde ista peti possint. De-
inde quibus similibus, dissimilibus, exemplis, collationi-
bus, sententijs, prouerbijis, fabulis, apologis unaquæq;

b 2 pars

pars locupletari queat. Ostendat et schemata, si qua insigniter uidebuntur incidere posse, que uel acriorem, uel ampliorem, uel magis dilucidam, uel iucundiorē reddant orationem. Si quid erit amplificandum, rationem demonstret, siue per locos cōmunes, siue per eas rationes, quas in quatuor formas distribuit Quintilianus. Quod si qui inciderint affectus, hi quoq; quo pacto tractandi sint, admonebit. Quin et connectendi rationes prescribat, quis sit optimus futurus transitus. Ab exordio ad narrationem, à narratione ad diuisionem, à diuisione ad argumentationem, à propositione ad propositionem, à ratione ad rationē, ab argumentatione ad epilogum, aut perorationē. Ostendat et formulas aliquot, quibus ibi cōmode possint exordiri, aut etiā perorare. Postremo, si potest, locos aliquot in autoribus indicet, unde ualeant aliquid imitandū sumere, propter rerū affinitatē, id ubi septies, aut octies erit factū, iam incipient (quod ait Horatius) sine cortice nare, et satis erit nudum thema ministrasse, nec necesse fuerit, semper uelut infantibus cibū præmansum in os inserere. Nec mihi displicet illud exercitationis genus, quod apud antiquos in usu video fuisse, ut ex Homero, Sophocle, Euripide, Vergilio, aut etiā ex historijs aliquando legantur themata. Puta, ut Menelaus apud Troianam concionem repeatat Helenā. Aut, Phoenix suadeat Achilli, ut redeat in prælium. Aut, Vlysses suadeat Troianis, ut Helenam redendant, potius quam bellū experiātur. Quo in genere existant aliquot Libanij et Aristidis declamationes. Præterea, uti suadeat aliquis amicus Cicroni ne cōditionē

ab Anto

ab Antonio oblatam accipiat, quod argumentū est apud Senecam, Vti Phalaris suadeat Delphis, ut taurum ēneū deo suo consecrent. Ad hoc genus pertinent epistole, quæ Phalaridis, ac Bruti nomine circunferuntur. In emendando collaudabit, si quid felicius inuentum, tractatum, aut imitatum uidebitur: si quid prætermissum, aut nō suo loco positum, si quid nimium, aut remissius, si quid obscurius, aut etiam si quid parum eleganter dictum erit, admonebit. Et quo pacto mutari posset ostendet, ac mutari, & sèpius iubebit. Extimulabit autem præcipue discentium animos, comparatione profectus, uelut emulatione quadam inter ipsos excitata. Nam in prælegendis autoribus nolim te facere, quod prava quadam ambitione uulgaris professorum hodie facit, ut omni loco conceris omnia dicere, sed ea duntaxat, que explicando præsenti loco sint idonea, nisi si quando delectandi causa digrediendum uidebitur. Quod si huius quoq; rei rationem à me requiris, hæc mihi quidem uidebitur optima. Primo loco ad conciliandos auditores, laudes eius, quem prælegendum sumit, paucis explicet. Deinde argumenti iucunditatem, utilitatemq; ostendat. Mox uocem argumenti, si forte (ut faciunt pleriq;) uarios habeat usus, explicet, ac distinguat. Vèluti comœdiā (ut hoc exempli loco sumamus) Terentianam interpretatus, in primis de autoris fortuna, de ingenio, de sermonis elegantia paucis differat. Deinde quantū habeat & uoluptatis, & utilitatis comœdiarum lectio: deinde quid significet ea vox, & unde ducia, & quot sint comœdiorū genera, & que sint comœdiæ leges. Deinceps quām

potest et dilucide, et breuiter summam explicit argu-
menti. Carminis genus diligenter indicet. Post ordinet
simplicius, deinde singula fusiū explicit. Ad hęc, si qua
in signis elegantia, si quid prisce dictum, si quid noua-
tum, si quid græcanicum, si quid obscurius, aut longius
redditum, si durior aut perturbatior ordo, si qua ety-
mologia, si qua deriuatio aut compositio scitu digna, si
qua orthographia, si qua figura, si qui loci rhetorici, si
qua exornatio, si quid deprauatū, diligenter admoneat.
Tum loca similia ex autoribus cōferat, si qd diuersum,
si quid affine, si quid imitatum, si quid allusum, si quid
aliunde trāslatum, aut mutuo sumptum, ut sunt pleraq;
latinorum à grēcis profecta, ne id quidē taceat. Postre-
mo ad philosophiā ueniat, et Poëtarū fabulas apte tra-
bat ad mores, uel tanquā exempla demonstret, ut Pyla-
dis et Orestis, ad amicitiae cōmendationem, Tantali fa-
bulam ad auaritię detestationem. In his non mediocri-
ter adiuuabit docentem Eustathius, Homeri interpres.
Atq; ita fiet (si modo sit ingenij dextri praeceptor) ut
etiam si quid inciderit, quod inficere posſit etatem illā,
non solum non officiat moribus, uerum etiam utilitatem
aliquam adferat, uidelicet animis partim ad annotatio-
nem intentis, partim ad altiores cogitationes auocatis.
Veluti si quis prælecturus secundam Maronis æglogā,
cōmoda præfatione præparet, uel potius præmuniat au-
ditorum animos ad hunc modum, ut dicat, Amicitiā nō
coire nisi inter similes, similitudinē enim esse beniuolen-
tię mutue conciliatricem, contrā dissimilitudinem odij,
disfidijq; parentem. Quoq; maior ac uerior, stabiliorq;
similitus

similitudo fuerit, hoc firmiorē atq; arctiorem esse amicitiam. Id nimirum sibi uelle tot apud autores prouerbia. Boni ad bonorum coniuia, et inuocati accedunt. Et simile gaudet simili, et aequalis aequalē delectat, et aequalē tibi uxorem quāre. Et ut semper similem ducit Deus ad simile, et semper graculus aſidet graculo. Et similes habent labra lactucas. Et pares cum paribus facillime congregantur. Et Cascus Cascam ducit. Et balbus balbum rectius intelligit. Et cicada cicadæ chara, formica formicæ. Et Cretensis cum Aegineta. Cōtra tot diſimilitudinis adagia, nihil aliud sibi uelle, quam inter eos qui diſimili sunt fortuna, diſimili uitæ instituto, diſimilibus studijs, aut omnino non coire amicitiam, aut si coierit, non cohærere, citoq; dirimi: atq; ob id fieri, ut idiota studiosum literarū oderit, prophanus sacerdotē, rusticus aulicum, iuuenis senem. Atq; in eodem genere, Epicuræus Stoicum, philosophus iurisconsultum, Poëta Theologum, balbus eloquentem. Hinc geminorum gratiam fratribus, Amphionis et Zeti, penè diſiliſſe, quod alter lyræ studiosus esset, alter agris colendis gauderet: ac diſilierat, niſi Amphion abiecta lyra, fratris ingenio ceſſiſſet. Ob eandem causam infyncera fuit Castoris et Pollucis amicitia, neq; caruit infamia tentati parricidiij, cum uterq; eodem ex ouo effent prognati, ut iam magis esse gemelli nō possent, quod alter pugil esset, alter equis delectaretur. Hinc male cōuenisse Remo cum Romulo, quod alter tristioribus ac ſeuoris effet moribus, alter blandior, unde et Romulo pro Romo mutatum nomen. Pessimè conuenisse Chaim cum Abel, quod di-

b + uero

uerso uite genere caperentur. Summum autem amore in
 summa similitudinis esse comitem, atque ideo factum a
 Poëtis, quemadmodum Narcissus, ante ab omni abhor-
 rens consortio, simul atq; suam ipsius imaginem in lim-
 pidissimo fonte confinxisset, protinus amore flagra-
 tiissimo coepit ardere. Quid enim nostri similius, quam
 ipsa imago? Ergo cum doctus doctum amat, sobrium so-
 brium, modestus modestum, probus probum, nihil aliud
 amat uterq; quam suam ipsius in altero imaginem, hoc
 est seipsum, sed alio modo. Verum ea similitudo, si quidē
 sita est in bonis animi, quae uere sunt bona, hoc est pie-
 tate, iustitia, temperantia, tum eiusmodi nascitur amici-
 tia cuiusmodi sunt et res, quibus amicitia conciliatur, hoc
 est honesta, uera, sincera, stabilis, eterna. Contrà si in
 rebus corporeis ac fluxis, aut etiam turpibus, eam nec
 uere esse amicitiam, nec iucundam, nec diuturnam ostendet.
 Proinde Platonem duas finxisse Veneres, alteram coe-
 lestem, alteram terrestrem. Duos item Cupidines, sue
 utrung; matri respondentes. Coelestem ueras gignere for-
 mas, et huius filium ueros, et honestos immittere amo-
 res. Inter bonos semper amorem esse mutuum, inter uul-
 gares plerung; alterum amare, alterum odiisse, alterum
 persequi, alterum fugitare. Id accidit ferè propter in-
 geniorum uitæq; dissimilitudinē. Quod quidē eleganter
 significat apud Poëtas Cupido, qui nonnunquam hunc
 aurea cuspide figit, illum plumbea, illum ut amet, hunc
 ut abhorreat, atq; hoc amicitiae genere nihil esse po-
 test infelicius. Eius igitur amicitiae male cohæretis, quasi
 simulachrum quoddam, in hac ægloga proponit Vera-
 gilius.

gilius. *Corydon rusticus*, *Alexis urbanus*. *Corydon pa-*
stor, *Alexis aulicus*. *Corydon indoctus* (nam huius carni-
na uocat incondita) *Alexis eruditus*. *Corydon ætate*
prouectus, *Alexis adolescens*. *Corydon deformis*, hic for-
mosus. Breuiter disimilia omnia. Quare prudentis est a-
micum suis moribus aptum diligere, si uelit amari mu-
tuum. Hæc inquam si præfetur, tum autem locos de-
monstratorios, perperam et bucolice à rustico affecta-
tos indicet, nihil opinor turpe ueniet in mentem auditio-
ribus, nisi si quis iam corruptus accesserit. Nam iste ue-
nenum non hinc hauserit, sed huc secum attulerit. Hoc
exemplum uerbosius exposui, quo facilius in cæteris item
sibi quisque similia reperiatur. Iam in aggressu cuiusque
operis conueniet in genere demonstrare, quæ sit argu-
menti natura, et quid in eo potissimum sit spectandum.
Velut in epigrammatis argutam breuitatem laudari. Tum
iocandi rationes, quas Fabius et Cicero tradunt, indi-
cabit. Hoc genus præcipue gaudere epiphonematis, cō-
mode in fine adiectis, quæ cogitationem uelut aculeatum
in animo lectoris relinquat. In Tragoedia præcipue spe-
ctandos affectus, et quidem ferè aciores illos. Hi qui-
bus rebus moueantur, paucis ostendet. Tum argumenta
ueluti declamantium. Postremo descriptiones locorum,
temporum, rerum, aliquoties et argutas altercationes
incidere, quæ nunc distichis, nunc singulis ueribus, nunc
hemistichijs absoluuntur. In Comoedia cum primis ob-
seruantur esse decorum, et uitæ cōmunis imitationem,
affectus esse mitiores, et iucundos magis quam acres.
Decorū autem in primis spectari, nō solum illud cōmune,

h 5 ut

ut adolescentes ament, lenones peierent, blandiatur mētrix, obiurget senex, fallat seruus, iactet se miles, atque id genus alia, uerum peculiare quoddam quod suo arbitriatu alijs aliud affingit Poëta. Velut in Andria duos inducit senes, longe diuerso ingenio. Simonem uehementem, ac submoroſum, haud stultum tamen, nec improbum. Contrā Chremetem ciuilem, ac semper placidum, ubiq; ſibi præſentem, omnia quantum potest pacātem, at ita tamē lenem, ut minime stupidū. Duos item adolescentes diſſimili natura, Pamphilum cordatum pro ratione etatis, & consultabundum, ſed acriorem, ut Simonis filium poſſis agnoscere. E diuerso Charinum puerilem, ineptum, confiliq; inopem. Rurſum seruos duos diuerſis moribus. Dauum uafrum ex confilijs abundantem, ac ſperandi pertinacissimum autorem. E regione Byrriam nullius cōſilij, tantum perpetuum deſperationis autorem hero. Ad eundem modum in Adelphis. Mitionem etiā in obiurgando mitem, ac festiuum. Demeam etiam in blan- diendo amarulentum. Rurſum Aefchinum propter urba- ne uitæ consuetudinem, & Mitionis fiduciam nihil non audentem, ſed ita ut probum ingenium deprehendas, of- ficioſum in fratrem, fidum in puellam. E diuerso Ctesiphontem ſubrusticum ac timidum, propter earum re- rum insolentiam. Cyrum callidum, & audacem. nihilq; non ſimulantem, ac diſſimulantem, adeò, ut ſola ebrietas detexerit illius focos. Dromonem stupidum, atque he- betem. Sed iſta persequi non huius eſt instituti, in præ- ſentia ſatis eſt uiam indicaffe. In æglogis admoneat eſſe aurei ſeculi, ac priſcae illius uitæ imaginē. Prounde quic- quid

quid illic est sententiarum, simulum, ac comparationū, à uita pastorali sumi: affectus sunt simplices, cātionibus, sententijs, ac prouerbijs delectantur, superstitione ex augurijs capiuntur. Ad eundem modum, quid propriū habeat carmen heroicum, quid historia, quid dialogus, quid apolodus, quid satyra, quid oda, quid reliqua scripti genera curabit admonere. Tum quae sint singulorū autorum in singulis argumentis dotes, aut etiam uitia, non grauabitur indicare, quo iam tum assuecant adolescentes ei quod est in omni re præcipuum, iudicio. Atq; in hac parte præceptorem, præter artem ex ingenium, adiuuabit etiam libellus Ciceronis de claris oratoribus, ex Quintilianī, Senecæ, atque Antonij campani de scriptoribus censuræ, neque non ueteres interpres, præcepue Donatus bac in re peculiariter occupatus. Huc pertinet ex consilijs ratio, ueluti quare M. Tullius in defensione Milonis finxerit sese timere. Et quare Vergilius tantopere laudibus uehat Turnum hostem Aeneæ, ex quare abdicatus medicus apud Lucianum non ledit nouercam, sed magis laudat ex in patrem acrior est quam in nouercam. Sed id quoque in immensum patet. At iudicabit aliquis hæc nimium habere negocij. Evidem præceptorem eruditum, longoq; usu exercitatum uolo esse. Is si continget, hæc etiam facile percipient pueri. Quod si qua initio erunt duriora, progressu ex assuetudine mollescent. Optima certe sunt, nisi fallor, ex optimis couenit statim assuescere, quanquam hæc non ubiq; omnia sunt inculcada, ne tedio grauetur ingenia discentiū, sed ut inciderint insigniora. Neq; uero minorē adhibeat cum

ram

ram præceptor in exigendo quæ commisit, quam in prelegendo. Est omnino labor hic docenti grauissimus, sed discentibus utilissimus. Nec ordinè exigat duntaxat, sed quicquid scitu dignum fuerit creditum, id assuescant bona cum fide reddere. Neq; uero deterreat ab hac re difficultas, quæ uel menstruo temporis spacio uincitur. Mihi nunquam placuit, ut omnia dictata scribant adolescentes, fit enim hoc pacto, ut memoriae cultus negligatur, nisi si qui pauca quædā notulis uelint excipere, idq; tantisper donec usu cōfirmata memoria, scripti non desiderent adminiculū. Postremo tantum arbitror esse momenti in commoda docendi ratione, si modo diligens et eruditus cōtigerit præceptor, ut non dubitarim meo recipere periculo, me minore negocio, ac paucioribus annis adolescentes ad utriusq; linguae mediocrem etiā eloquētiām perducturum, modo dentur ingenia nō omnino infelia, quam isti literatores ad qualemq; illam suam balbutiem uel infantiam potius prouehūt suos. His igitur rudimentis puer in prima imbutus schola, deinde bonis avibus ad altiores disciplinas conferat se, et quo cunq; se uerterit, facile declarabit, quantopere referat ab optimis auspiciatū fuisse. Hæc habui in præsentia mihi rissime Petre, quæ tibi de Studij Ratione scriberem, ea si placet, utere: si minus, sedulitatem certe nostrā pro tuo candore boni consules. Tu modo perge ita ut instituisti, in bonas literas incubere, ac Galliam tuā alio= qui floretissimam, honestissimis etiam stu dijs illustra. V A L E.

F I N I S.

Concio

CONCIO DE

PVERO IESV PRONVNTIA=

ta à puerò in schola Coletica, tum

recens instituta Lon=

dini.



V E R apud pueros uerba factu= Exordium.
rus de ineffabili puerò I E S V ,
nō optarim mihi Tullianā illā elo
quētiam, que breui atq; inani uo
luptate aures deliniat. Quantum
enim abest C H R I S T I sapiē
tia à sapiētia mundi (abest aut im
mēso interuallo) tantū oportet Christianam eloquentiā
à mūdana differre eloquētia: sed illud unā mecum ardenti= Inuocatio.
bus uotis impetratis uelim, ab optimu I E S V optimo
patre Deo, à quo ceu fonte, bonorum oīm summa profi=
ciscitur, quiq; solus foecūdo illo suo spiritu linguas infan=
tiū reddit disertas, uel è lactentiu ore laudē absolutā de=
promere solitus: ut quēadmodū omnis nostra uita nō aliū
exprimere debet, quām ipsum, de quo dicturi sumus I B
s v M , ita & oratio nostra illum sapiat, illum referat,
illum spiret, qui & uerbum est patris, & uerba uitæ
solus habet, cuius sermo uiuus & efficax, penetrantior
est quouis gladio ancipiti, ad intimos etiam cordis reces=

fus penetrans: utq; ipse de cuius uentre flumina pro=

manant aquæ uiue, non grauetur per organum uocis
nostræ, ueluti per canalem, in omnium uestrum animos
in

influere, multoq; gratiae coelestis irrigare succo. Id ita futurum confido commilitones mei charissimi, si pijs uotis, purgatas ac uere sitiētes aures adiungeris. Eas uidelicet aures, quas eternus ille sermo requirens in Euangeliō, qui habet, inquit, aures ad audiendum, audiat. Nos porro cur non audeamus rem hanc, arduam quidem illam, sed tamē piā aggredi? Præsertim ipso adiutore Deo, in quo hoc plus potest mortalis infirmitas, quo minus suis nititur viribus, ex in quo Paulus omnia se posse gloriat. Iā uero cū tanto studio flagrent isti, qui mundanæ, hoc est diabolicæ militiæ dedere nomina, ut siuum cuiq; ducē laudibus uechant, Nobis quid prius aut antiquius esse debet, quam ut præceptorem, xindicē, imperatorem nostrum I E S V M, ac eundem quidē omnium, sed tamen peculiariter nostrum, id est, puerorum principē, certatim pijs celebremus præconijs? Hūc in primis cognoscere studeamus, cognitum laudemus, laudatū amemus, amatum exprimamus, atque imitemur, imitantes eo fruamur, fruentes immortali felicitate potiamur. Sed in

Trāitus per tam ubere tamq; immensa rerum copia, unde queso indubitationē: tium, aut ubi finem nostra reperiet oratio? Cum is, de quo loqui paramus, fons sit, uel (ut uerius dicam) oceanus bonorum omnium. Verum ut ipse natura incomprehensus, ex infinitus, tamen sese uelut in arctum cohibuit contraxitq; itidem ex nostra oratio in explicādis eius laudibus, quæ modū nesciūt, modū tamen ipsa sibi faciat oportet. E quidē tria potissimum esse video, quæ uel discipulorum uel militum animos solent ad gnauiter agendum inflammare, ea sunt ducis admiratio, amor ex pre-

mūm.

Divisio.

mium. Itaque quo præceptoris nostro ac duci i e s v studijs alacrioribus pareamus, agendum singulatim haec in eo pia curiositate consideremus. Primo loco quām sit suspiciendus, undiq; ac stupendus. Deinde quantopere diligendus, atq; ob id imitandus. Postremo quām ingens Prima pars. dilectionis fructus. Ac mos quidem est rhetorum in hoc dicendi genere, illustrium principum adhibere exempla, uidelicet quo collatione crescat is, quem conantur laude bus attollere. Verum imperator noster usqueadē superat omne celsitudinis humanæ fastigium, ut quicquid quantumuis egregium adhibueris, tenebras admoueris, non lucem. Cuius enim imagines, ac natalium splendor non uideatur esse fumus, si cū i e s v componas? Qui quidem ineffabili, immo etiam incogitabili ratione Deus à Deo semper absq; tempore nascitur, ēterno summoq; parenti per omnia equalis? Quanquam huius uel humana nativitas nonne facile regum omnium claritatē obscurauerit? Quippe qui stupente rerum natura, autore patre, afflante spiritu, pronubo angelo, citrā uirilē operam, uirgo de uirgine cœlitus grauida, natus est homo, in tempore, & rursum ita natus homo, ut neq; Deus esse desineret, neq; sordium nostrarum quicquā omnino contraheret. Iam uero quid eo fingi potest amplius, qui infusus per omnia, nullo tamen loco cohibitus, in seipso manet immensus? Quid illo ditius, qui summum illud est bonum, à quo bona promanant omnia, nec tamen ipse dominui potest? Quid illustrius eo, qui splendor est pater-næ glorie, quiq; solus illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum? Quid illo potentius, cui pater omnipot

omnipotens uniuersam tradidit potestatem in cœlo &
in terra? Quid efficacius eo, qui simplici nutu condidit
uniuersa, ad cuius iussum filescit mare, uertuntur rerum
species, fugiunt morbi, concidunt armati, pelluntur de-
mones, seruiunt elementa, scinduntur petræ, reuiuiscunt
mortui, recipiunt peccatores, deniq; nouantur omnia? .
Quid augustius eo, quem admirantur superi, tremunt
inferi, medius hic orbis supplex adorat, ad cuius compas-
rationem summi reges nihil aliud quam uermiculos esse
se se confitentur? Quid eo fortius atq; invictius, qui solus
mortem alijs invictam, sua morte deuicit, ac satanæ ty-
rannidem coelesti uirtute fregit ac demolitus est? Quid
triumphantius eo, qui perfractis ac spoliatis inferis, tot
pijs comitatus animabus, uictor cœlos adiit, ibi q; sedet
ad dexteram dei patris? Quid illo sapientius, qui tā ad-
mirabili ratione cūcta condidit, ut uel in apiculis ac for-
micis tot, tantāq; sua sapiētiae reliquerit miracula? quiq;
tam stupendo rerum ordine, atque harmonia necrit, con-
tinet, administrat uniuersa, obies omnia, nec tamen à se
ipso discedens, omnia mouens ipse immotus, omnia con-
cutiens ipse tranquillus, postremo in quo id, quod stu-
tiſſimum est, uniuersam mortalium sophorum sapien-
tiam longo superat interuallo? Cuius debet nobis ef-
fe grauior autoritas, quam eius de quo pater ipse pa-
lam est testificatus: hic est filius meus dilectus, in quo
mibi complacui, ipsum audite? Quid æque reueren-
dum, atque is cuius oculis perspicua sunt omnia? Quid
perinde formidandum atque ille, qui solo nutu potest,

C

Et animam, et corpus in tartara mittere? Quid autem formosius eo, cuius uultum intueri summa est felicitas? Deniq; si multis pretium addit antiquitas, quid illo antiquius, qui nec initium habet, nec finem est habiturus? Sed magis fortasse conuenerit, ut pueri puerum admiretur, quandoquidem hic quoq; stupendus occurrit, usqueadeò quod illius est infimum, sublimius est ijs, que sunt apud homines excelsissima. Quantus erat ille, quem infantulum uagientem, pannosum, abiectum in praesepe, tamen coelitus canunt angeli, adorant pastores, reverentur ex que genuit, agnoscunt bruta animantia, indicat stella, uenerantur Magi, timet rex Herodes, trepidat omnis Hierosolyma, sanctus amplectitur Symeon, uaticinatur Anna, in spem salutis eriguntur pijs? O humilem sublimitatem, et sublimem humilitatem. Si noua miramur, quid simile unquam aut factum, aut auditum, aut cogitatum? Si magna suspicimus, quid nostro i e s v modis omnibus amplius, quem nulla creatura posset uel exprimere uoce, uel cogitatione conceper? Huius magnitudinem qui uelit oratione complecti, is multo stultius agat, quam si conetur uastissimum oceanum angusto exhaustire cyatho. Adoranda est eius immensitas magis quam explicanda, quam uel hoc ipso magis mirari conuenit, quo minus assequimur. Quid ninos id faciamus, cum magnus ille praecursor indignum se pronunciet, qui corrigias calciantorum eius soluat? Agite igitur pueri suauissimi, hoc tam inclyto puerro i e s v praeceptore, hoc tam insigni duce sancta superbia gloriemur, huius sublimitas nobis ad pie audendum

dum animos addat , in hoc uno nobis ipsi placeamus , ut existimantes illius omnia nobis esse communia , nos ipsos meliores arbitremur , quām qui semel tali addicti imperatori , mundo uitij ue fordinissimis utiq; dominis seruiamus .

S E C V N D A P A R S.

Sed admirantur & contremiscunt etiam dæmones , amant soli pij . Quamobrē altera huius orationis pars , ut proprius ad nos pertinet , ita est attentioribus auribus accipienda . Videlicet quot nominibus I E S V S fit nobis amandus , uel redemandus magis , ut qui nos & non dum conditos ante omne tempus amarit in se , in quo iam tum erant omnia . Itaq; natuua sua bonitate cū nihil essemus , nos fixit , fixit autem nō quoduis animal , sed homines , & fixit ad suipstus imaginem , hoc est summi boni capaces , ac sacro sui oris afflatu spiritum uitalem indidit . Ad hæc , cæteris animantibus imperio nostro parere iussis , quin etiam angelis in nostri tutelam designatis , latissimam hanc ac pulcherrimam mundi fabricam nostris addixit usibus : in qua nos uelut in admirabili quodam theatro cōstituit , ut in rebus creatis officiis sapientiam admiraremur , bonitatem amaremus , potentiam ueneraremur : quoq; id magis fieret , tot sensuum adminiculis instruxit , tot animi dotibus ornauit , tā per spicaci ingenij lumine cōdecorauit . Quid hoc animatē fungi poterat , uel admirabilius , uel felicius ? Sed o semper felicitatis comitem inuidiam . Rursum serpentis astu in peccatum , hoc est plusquām in nihilum relapsus est miser . Sed hic tu rursum optime I E S V , quām ineffabili consi

consilio, quām inaudito exemplo, quām incomparabili
charitate, tuum figmentū restituisti? Nam ita restitu-
sti, ut labi propémodum expedierit, eanq; culpan qui-
dam non absurde felicem uocauerit. Omnia debebamus
conditori, at reparatori plusquām omnia debemus. Vl-
tro temetipsum è regno patris in hoc nostrum exilium
demisisti, ut nos paradiſo exactos, cœli ciues redderes,
nostram humanam naturam assumpſisti, ut nos in tue
diuinitatis consortium ascisceres, nostrum hunc limum
induisti, ut nos immortalitatis gloria uestires, nostra te-
tus forma, nobiscum in hoc calamitoso mundo complu-
res annos agere uoluisti, ut uel sic in tui raperes amo-
rem: nudus in hanc lucem, imò noctem emersisti, nobis-
cum, atq; adeò pro nobis uagisti, sisti, esuristi, alisti,
estuasti, laborasti, delassatus es, eguisti, uigilasti, ieuna-
sti, tot malis nostris obnoxius esse uoluisti, ut nos ab o-
mnibus exemptos malis, in tui, hoc est summi boni com-
munionem assereres. Deinde per omnem sanctissimæ ui-
tae tue seriem, quām efficacibus exemplis animos no-
stros inflamas? quām salutaribus præceptis eridis, ac
formas? quām stupendis miraculis expergefasis? quām
blandis monitis trahis? quām certis promissis inuitas? ut
non sit alia commodior uia ad te, nisi per te ipsum qui
unus es, uia, ueritas, et uita. Sed uiam non indicasti mo-
do, uerum etiā aperuisti, dum pro nobis uinciri, trahi,
damnari, rideri, cœdi, confugi, uapulare, probris affici,
demū et in ara crucis agnus sine macula immolari uo-
luisti, ut nos tuis uinculis solueres, tuis saniores uulneri-
bus, tuo lauares sanguine, tua morte ad immortalita-

i 2 tem

tem eueheres . In summa , totum te nobis impendisti , ut tui (si fieri posset) iactura nos perditos seruares . Vi- te redditus , toties tuis apparuisti : atq; illis intuentibus , patrem repetisti , ut membra considerent eò se peruen- tura , quò caput iam præcessisse conspicerent . Deinde quo magis confirmares amicos , patre placato egre- gium illud perpetui amoris tui pignus misisti , sacrum illum spiritum , quo mortui mundo longe uerius ac fe- licius iam uiueremus in te , quàm nostro hoc spiritu ui- uimus . Queso quid his summae charitatis argumen- tis poterat accedere ? Ne hæc quidem tam multa , tam magna flagrantissimo tuo in nos amori sat erant . Quis enim commemorare possit , quot martyrum mortibus nos ad huius uite contemptum animas ? quot uirgi- num exemplis ad continentiam accendis ? quot sancto- rum monumentis ad pietatem solicias ? quàm admi- randis ecclesiæ tuæ sacramentis communis pariter ac ditas ? Ut consolaris , erigis , armas , doces , mones , tra- his , rapis , mutas , transformas nos arcanis tuis literis , in quibus uiuas quasdam tui scintillulas condi uolui- sti , magnum amoris incendium excituras , si quis mo- do pia diligentia conetur excutere ? Deniq; quàm un- diq; nobis obuius es , ne quando liceat obliuisci tui ? Ad hæc quàm paterne toleras peccantes ? quàm cle- menter recipis ad te redeentes ? Nec imputas benefi- cia tua gratis , nec resipiscientibus nostra imputas ma- lefacta . Ut subinde tacitis uellicas ac trahis instincti- bus : ut emendas aduersis : ut allicis prosperis : ut omnem moues lapidem : ut nusquam cessat ardentißima tua
charitas

charitas in fouendis, afferendis, tuendis, beandis nobis? Sed quam pauca de tam innumeris perstrinximus commilitones, et tamen uidetis quam sit immensus beneficiorum aceruus. Eat nunc qui uolet, et Pyladas, Orestes, Pirithoos, Theseos, Damonas ac Pythias uerbis phaleratis efferat, mera præ his nugamenta. Atque haec quidem contulit ultro nihil promeritis, imò transfugis atq; hostibus, et à quibus nihil omnino mutui beneficij redire poterat. Si mediocribus officijs homines ad amandum hominem accendimur, hunc conditorem, uindicem, sic amantem, sic promeritum, non saltem redamabimus? quandoquidem hanc solam gratiam ille à nobis reposcit, quam tamen ipsam in nostrum refudit lucrum. Adamas sanguine mollescit hircino, aquilæ, leones, pardi, delphines, dracones agnoscunt, ac referunt beneficium, et ô duritiam cordis humani, plus quam adamantinam, si tam inaudita charitate non mitescit, ô ingratitudinem plusquam beluinam, si tanto=rum meritorum potest obliuisci, ô singularem impudentiam, dicam an potius dementiam, si sic conditus, sic restitutus, sic locupletatus, tanta obrutus beneficentia, ad tantas uocatus spes, quicquā amare potest, præter illum unum, in quo, et à quo sunt omnia, quiq; nobis omnia secum impertijt. Porrò autem, quanquam haec mortaleis omneis complectitur, tamen nos illi peculiariter debemus, propterea quod in nostrum, hoc est, puerorum ordinem singulari quadam propensione, atq; indulgentia fuisse sepe pluribus declarauit argumen=tis. Primum, quod ita ut erat uatum oraculis promis-

i 3 sus

sus, puer parvulus nasci uoluit cum esset immensus. Pre-
 terea quod adhuc uteri uirginei latebris inclusus, infan-
 tis item nondum nati gestu atq; exultatione gauisus est
 salutari. Deinde quod statim innocentium puerorum san-
 guine, suam natuitatem uoluit consecrari, ut his quasi
 uelitibus dux inuictus bellum auスピcaretur. Adde his
 quod instantे morte triumphali, Hierosolymam ue-
 niens puerorum occursu atq; officio decorari, puer-
 rum uoce suas laudes decantari maluit. Iam uero quam
 amantem, quamq; solicitum puerorum patronum agit:
 cum matribus infantes suos offerentibus, ut I E S V
 contactu consecrarentur, discipulis ne possent admitti
 uetantibus indignans, Sinite, inquit, parvulos uenire ad
 me. Neq; uero pueris benedixit tantum, uerum etiam
 negat ulli mortalium aditum patere in regnum cœlo-
 rum, nisi qui ad parvolorum formam descenderit. Rur-
 sum quam amanter & illud: cum tam grauiter deterret
 ab offendendis pusillis, affirmans magis expedire, ut
 molari saxo collo alligato præceps in mare detur ali-
 quis, quam ut unum quemlibet ex his parvulis offen-
 dat. Atq; his quam insigne addidit elogium ad puer-
 rum commendationem? Amen dico uobis, angeli eorum
 semper uident faciem patris. Gratias agit tibi tuus,
 tibiq; dicatus grex, I E S V præceptor, cui queso, ut
 sacras tuas manus semper admouere uelis, & ab omni
 scandalo procul arceas. Quid illud: nonne magnum a-
 moris indicium, cum puerum in medio collocatum di-
 scipulis eum exemplum proponit? Nisi inquiens, con-
 uersi fueritis, & efficiamini sicut parvulus iste, non in-
 trabitis

trabitis in regnum cœlorum. An non eodem pertinet cum Nicodemo sciscitanti, qua uia posset ad uitam immortalem pertingere, iubet ut denuo renascatur, hoc est in puerum redeat: usque adeò Christo duci nostro placuit infantia, ut senes etiam cogat repuerascere, si modo uelint in illius admitti consortium, extra quem nulla salutis spes est. Neq; uero à C H R I S T O dissonat Petrus, cum admonet, ut tanquam nuper æditi infantes lac concupiscamus. Neq; discrepat Paulus, Filioli mei, inquietiens, quos iterum parturio donec formetur C H R I S T V S in uobis. Idem paruulos in C H R I S T O lacte potat. Multa sunt id genus loca in mysticis literis. Omnino Christianismus nihil aliud est quam renascens, quam repuerascentia quedam. Magnum igitur pueri, magnum pueritiae sacramentum, qua I E S V S tantopere delectatus est. Nō contemnamus ætatem nostrā, quam uerus ille rerū æstimator tanti fecit. Tantum demus operam, ut eiusmodi simus pueri, cuiusmodi diligit I E S V S. Diligit autem innocuos pueros, dociles, simplices: atq; illud interim meminerimus, hanc Deo gratam pueritiam nō in annis esse sitam, sed in animis, non in temporibus, sed in moribus. Est enim præposterum quoddam, nobisq; magnopere fugiendum puerorum genus, qui mento leui, mente sunt hirsuta, & ætate impuberis, uitiosa astutia senes sunt. Est igitur nouum quoddam pueritiae genus, quod à C H R I S T O probatur, pueritia citra puerilitatem, & omnino senilis quedam pueritia, que nō annorū numero constat, sed innocentia, sed ingenij simplicitate. An nō id palam indicat Petrus

i 4 trus

trus cum ait : Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et inuidias, et detractiones, sicut modo geniti infantes, rationale et sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem . Cur addidit rationale ? nempe ut excluderet stultitiam , que buius ferè etatis consueuit esse comes . Cur detrahit inuidias, simulationes , ac reliqua id genus uitia, quæ secundum sunt quasi peculiaria ? nimirum ut intelligeremus C H R I S T I pueros simplicitate ac puritate aestimari, non natalibus. Ad eundem modum et Paulus : Malitia, inquit, parvuli estote, sensibus autē perfecti. Quanquam est omnino in ipsa puerorum aetate nativa quedam bonitas, et uelut umbra quedam, ac simulacrum innocentie, uel spes potius atq; indoles futurae probitatis . Mollis, et in quemuis habitum sequax animus, pudor optimus innocentiae custos, ingenium uitijs uacuum, corporis nitor, ac ueluti flos quidam uernantis aui, et nescio quomodo quiddam spiritibus cognatum ac familiare. Neq; enim temere fit, ut quoties apparent angeli, puerili specie sese offerant oculis : quinetiam Magi si quando suis incantamentis spiritum eliciunt, in puerile corpus feruntur accersere . At quanto libenterius spiritus ille diuinus, pijs ac sanctis euocatus uotis, in huiusmodi domicilia demigrabit? Ergo ad has naturae dotes si accesserit summi illius et absoluti pueri imitatio, tum demum et grati in illū et illo digni pueri uidebuntur . Etenim sic promeritum quis posset non amare? Verum enim uero ea ueri amoris uis est, ut eius quod ames quam simillimus esse cupias . Quod si in nobis

nobis efficit amor humanus, quantum emulandi stu-
dium excitabit amor diuinus, cui ille collatus uix amo-
ris umbella est? Proinde si uere atque ex animo non uer-
botenus I E S V M amamus, I E S V M pro no-
stra uirili conemur exprimere, uel potius in illum tra-
formari. Quod si uirum assequi non possumus, saltem
pueri puerum imitemur. Quanquam hoc ipsum facinus
est, haud quaquam puerile, immo senilibus etiam uiribus
maiis, sed quod ferè nusquam succedat felicius quam
in pueris. Etenim quoties negotium ab humano pena-
det præsidio, tum robur, etas, sexus expenditur: uerum
ubi gratiae res agitur non naturæ, tum hoc efficacius
exerit sese miraculum spiritus, quo minus erat opis, ac
fiduciae in carne. Denique quid dubitemus, aut diffida-
mus: ipso formante, fingente, ac transformante nos, quem
conamur exprimere? Quis Danieli pueru tantum ad-
didit prudentiae? quis pueru Salomoni tantum tribuit
sapientiae? quis tribus illis pueris tantum adiunxit to-
lerantie? quis puerum Hely dignum diuino fecit allo-
quio? quis Nicolao pueru? quis Aegidio? quis Benedi-
cto? quis Agneti? quis Cæcilia? quis tot tam teneris
uirgunculis, tam masculam atque inuictam uirtutem de-
dit? Profecto non natura, sed gratia, & ubi minus suc-
currit natura, ibi mirabilius operatur gratia. Hac igitur
freti magno animo studium emulandi puerum I E=
S V M capessamus, nec unquam oculos ab eo uelut à
scopo deflectamus. Absolutum exemplar habemus, ni-
hil est quod aliunde petere oporteat. Omnis illius ui-
ta, quid nos sequi debeamus, clamitat. Quid autem do-

i 3 cuit

cuit puer ille purissimus, de purissima uirgine natus? nisi ut omnem huius mundi spuricitiam, et inquinamenta uitemus, atque angelicam quandā uitam iam nunc in terris meditemur, hoc est, id esse meditemur, quod illic semper sumus futuri. Porro spiritus I E S V cū omneis fordes auersatur et odit, tum praeципue beluinam illam, et prorsus homine indignā libidinem. Quid autem docuit nos, natus peregre, editus in tuguriolo, abiectus in praeseppe, pannis inuolutus? nisi ut semper meminerimus nos hic paucorum dierum hospites esse, utq; calcatis opibus, spretis mundi falsis honoribus, per pios labores ad coelestem illam patriam expediti festinemus, in qua iam nunc animo uiuamus oportet, etiam si corporeis interim pedibus terram contingimus. Rursum quid admonuit in Aepyptum aufugiens? nisi aut inquinatorum commercium modis omnibus deuitemus, qui I E S V M in nobis, hoc est innocentiam, ac mundi neglectum conantur extinguere. Quid uero docuit circuncisus, nisi ut omnibus carnis affectus ad C H R I S T V M properantibus obstrepende, amputemus, ac tanquā in nobis ipsis mortui, solo I E S V spiritu ducamur, ac uetegemur? Quid docuit oblatus in templo, nisi ut totos nos ab ipsa iā infantia Deo rebusq; sacris dedicemus, cōsecremusq;, ac protinus recenti adhuc mentis testa I E S V M imbibamus? Neque enim ulla etas ad discendam pietatem immatura est, immo non est alia magis tempestiuua ad discendum C H R I S T V M, quam ea que mundum adhuc nescit. Iam ipsi apud uos estimate pueri, puer ille sic natus, sic Deo dicatus, quam sanctis studijs totam pueri

pueritiam transegerit. Non ocio, non cibo, non somno, non ineptis lusibus, non stultis fabulis, non euagationibus, quemadmodum puerorum uulgas facit, sed aut parentum obsequijs, aut sacris precationibus, aut auscultandis doctoribus, aut pijs meditationibus, aut sanctis ac serijs cum æqualibus pueris colloquijs. An non hæc, et multa similia summatim complexus est sanctus Lucas? cum scribit ad hunc modum : Puer crescebat, et confortabatur plenus sapientia, et gratia dei erat in illo. An non palam uidetis nouum pueritiae genus ? De pristinis pueris dictum est, Stultitia colligata est in corde pueri. De nouo hoc auditis, plenus sapientia. Quid adhuc etatis inscitiam præteximus, cum audiamus non sapientem, sed plenum sapientia puerum ? Videte ut omnem rerum ordinem hic puer inuertit, qui loquitur in Apocalypsi: Ecce ego noua facio omnia. Perditur sapientia senum, ac prudentia prudentium reprobatur, et pueri implentur sapientia. Nimurum hoc nomine gratias agens patri. Quoniam, inquit, abscondisti haec à sapientibus, et reuelasti ea parvulis. Porro ne stultam huius mundi, ac fucatam sapientiam affectaremus, protinus adiecit: Et gratia dei erat in illo. Is uere demum sapit, qui mundo desipit, et nihil nisi C H R I S T U M sapit. Hic non è philosophorum libris, non è scoticis argutijs, sed sincera fide cognoscitur, spe tenetur, charitate deuincitur. Iam uero quām multa docuit nos? Vbi duodecim natus annos, à parentibus furtim subducit se, ne inter notos quidem, ac propinquos repertus, post triduum denique inuentus est. Sed ubi tandem inuen-

uentus? Num in circulis? num in choris? num in uix
aut foro? Audite pueri, ubi repertus sit puer I E S V S
relictis parentibus, quodammodo fugitiuus, ex ubi uos
uersari conueniat intelligetis. In templo, inquam, in=
ueritus est, in medio doctorum sedens, audiens illos, ac
uicissim interrogans. Quid docuit nos I E S V S
his tam admirandis factis? Non dubium quin rem ma-
gnam, rem seriam, rem imitandam docuerit. Quid au-
tem? quid? nisi ut grandescente in nobis C H R I S T O ,
quandoquidem ex in nobis nascitur, ex habet suos etas-
tum gradus, donec occurramus in uirum perfectum, ex
in mensuram plenitudinis eius: Ergo cum grandescit in
nobis, docet ut naturales parentum ex amicorum af-
fectus in deum transferamus, nihil hic amemus, nihil
mirremur, nisi in C H R I S T O , ex C H R I S T V M
in omnibus. Meminerimus nos uerum patrem, patri-
am, cognatos, amicos habere in coelis. Verum ne quis
imaginetur hunc parentum neglectum, fastum, aut ino-
bedientiam sapere, consequitur, Et erat subditus illis.
Imò nemo suos parentes uerius amat, nemo magis pie
colit, nemo obseruantius morem gerit, quam qui sic con-
temnit. Quid autem est sedere in templo, nisi in rebus
sacris conquiescere, ex ad discendum animum ab omni-
bus tranquillum curis adferre? Nihil autem uitijs est
turbulentius, ex otium ac quietem amat sapientia. Iam
à quo tandem nos grauemur discere? quam attentas
aures præceptoribus præbere conuenit, cum puer ille
coelestis, sapientia dei patris, in medio doctorum se-
deat, audiens uicissim ac respondens, sed ita respondet,
ut

ut omnes eius sapientiam admirarentur. Neq; id mirū, cum is esset, ad quem omnis mundi sapientia stulta est. Praeclara res legum prudentia, egregia res philosophiae cognitio, suspicienda res theologie professio. Verum si quis I E S V M audiat, illico stultescunt omnia. At nostra responsio, si sapientiae miraculum excitare non potest, certe sapiat modestiam, sonet innocentiam. Rursum obsecro, quām morigeros, quām obsequētes nos esse decet parentibus ac præceptoribus, quos potiores uelut ingenij parentes habemus, poste aquām ille dominus omnium, cum à parentibus non intelligeretur, tamen subditus illis redierit in Nazareth? Debetur hoc pietati, debetur parentum reverentiae, ut aliquoties illorum uoluntati concedamus, etiam si nos meliora uiderimus. Sed iam opere preciū est audire, quām apto fini Lucas I E S V pueritiam concluderit: Et I E S V s, inquit, proficiebat sapientia, etate, ex gratia apud Deum, ex apud homines. Quām multa, quām paucis nos docuit? Primū cum etatis accessione, pietatis item accessionem oportere copulari, ne illud in nos iure dici posset, quod in hominum uulnus diuus dixit Augustinus: Qui maior est etate, maior est iniuitate. Nēue in hoc pulcherrimo certamine unquam restemus, aut nos asseditos arbitremur, sed more currentium in stadio, à tergo relicta negligentes, in anteriora nitamur, ac semper à bonis ad meliora, à melioribus ad optima proficere conemur, donec ad metam, hoc est huius uitæ finem peruentum erit. So- crates iam admodum senex, perinde quasi nihil sciret, ita semper ex à quo uis discere sitiebat. Itidem ex nos quo

quo magis in C H R I S T O fuerimus, hoc minus no-
bis placebimus, si modo uere in illo fuerimus progreſſi:
adeo & laetitia pefſis eſt ex studiorum, ex pietatis, ac
iuxta Fabium, præcox illud ingeniorum genus, non te-
mere peruenit ad frugem uel eruditio[n]is, uel innocetiae.
Equidem nec ordinem otiosum eſſe puto apud Deum
ex apud homines, ut intelligamus in primis dandam o-
peram, ut uita nostra Deo placeat. Id agentes, huma-
nus fauor ultro conſequetur. Nihil enim uirtute pul-
chrius, nihil amabilius, quam laus hoc magis ſequi ſolet,
quo minus appetitur. Paucis, ut potuimus uobis expreſ-
ſimus exemplar pueri, quem ex amare plurimum, et
imitari studioſiſime debemus. Atque omnino tantum ui-
debimur amare, quantum fuerimus imitati. Rurſum
tanto plenius imitabimur, quanto amabimus arden-
tiuſ. Proinde hoc ipsum ab illo quotidianis ac puris
precibus flagitemus, ut nobis donet amore ſui flagra-
re, ſui ſimiles euadere, hoc eſt caſtos, pueros, inconta-
minatos, mites, ſimplices, tractabiles, expertes fuci,
ignaros dolii, nescios inuidiae, parentibus morigeros,
præceptoribus dicto audientes, mundi contemptores,
rebus diuinis addic[t]os, pijs literis intentos, nobis ipſis
quotidie meliores, probatos ſuperis, gratos homini-
bus, odore bonæ famæ quam plurimos ad C H R I-
S T V M alluentes. Haec, inquam, aſidue flagitemus,
haec manibus pedibusq[ue] conemur, dum habilis ætas, bre-
ui alioqui fugitura. Etenim ſi recte monuit Fabius, o-
ptima ſtati[m] ac primo diſcenda, quid prius diſci debet,
quam C H R I S T V S, quo nihil eſt melius? Imo quid
aliud

aliud discere oportet Christianum, quam eum unum, quem nosse uita est æterna? quemadmodum ipse testatur, patrem orans in Euangeliō. Id si curabimus, ut cunque pro uirili gratiam referemus, tam singulariter de nobis merito, et illi referendo gratiam, ipsum nobis lucrificiemus. Referemus autem hoc plenius, quo uehementius redamabimus. Porro hoc magis illū redamabimus, quo magis uita ac moribus exprimemus. Iam quo magis exprimemus, hoc magis ipso locupletabimur.

T E R T I A P A R S.

At interim nonnullis forsitan succurret animo, duram hanc esse militiam, repudiatis omnibus, cum C H R I S T O crucem tollere. Sed memineritis fratres dilectissimi, longe diuersam mundi et C H R I S T I esse natum. Mundus ceu fucata meretrix, prima fronte blan dus nobis, et aureus occurrit, postea quo ingrediare al tius, quo proprius inspicias, hoc magis ac magis tetra, putida, sellita sunt omnia. Ediuerso C H R I S T V S procul intuentibus durior appareat, dum cruces uide mus, dum uoluptatum ac uitæ contemptum: uerum si quis fidenti animo totum sese in illum reijciat, repe riet nihil esse mollius, nihil expeditius, nihil dulcius. Nisi forte uerum non dixit ueritas in Euangeliō, cum ait: Tollite iugum meum super uos, et inuenietis re quiem animabus uestris, iugum enim meum suave est, et onus mecum leue. Hæc nimurum uere est, ardua uirtutis via, quam et olim tanto ante C H R I S T V M, utcunq;

ut cunque somniauit Hesiodus, primo aditu asperior,
 progressu semper et facilior, et amoenior. Sed quid
 tandem asperum uidcri, potest, quo ad tam ingens,
 tam certum itur præmium? Si iuxta Sapientis dictum,
 spes præmij minuit vim flagelli, quis in hac momenta
 nea uita non leue, non dulce iudicet, quo cœlestem il-
 lam, et nunquam desitaram sibi paret uitam, æternum
 regnare cum CHRISTO, assidue summum illud in-
 tueri bonum, uersari in angelorum contubernio, ab o-
 mni malorum metu procul abesse? Quis oro tantum
 hoc præmium, non uel sexcentis mortibus emptum ue-
 lit? At qui hoc tantum donatiuum pollicetur militibus
 suis imperator noster I E S V S, qui neque fallere
 potest, neque mentiri nouit. Nam apud uosmetipso ex-
 pendite fructus, æternitatem, ac magnitudinem: con-
 tri quam breue huius militie tempus, nimirum haud
 longius ipsa uita, que quid aliud est, quam uapor ad
 exiguum tempus apparens, aut unius horæ somnum?
 Sed agendum, de hoc interim inestimabili præmio si-
 deamus, atque inspiciamus quam abunde magna mer-
 cede dux noster militum suorum labores etiam in hac
 uita compenset, quamq; disparem metant messem, qui
 mundo militant, et qui merent sub CHRISTO
 I E S V . Audianus quid ipsi dicant impij in libro
 Sapientiae: Lassati sumus in via iniustitiae et perdi-
 tionis, ambulauimus vias difficiles, uiam autem domi-
 ni ignorauimus. Illeclat mundus fucatis bonorum simu-
 lacris, que nihil aliud sunt, quam mellita uenena, mox ex-
 tractos, et uelut inauktoratos, Deum immortalem, in quas
 curas,

curas, quas sollicitudines, quas turbas, que dispendia,
 que dedecora, in quam conscientiae mentis carnificinam, in
 quam infelicem exitum, miserios adducit? Ut hic quoque
 iam abunde magnas impietatis poenas dedisse videan-
 tur, etiam si nulli consequantur inferi. At qui reiectis
 mundi fucis, in I E S V M, hoc est summum bonum,
 omnem amorem, curam, studiumque transferunt, totiusque
 ab illo pendent, iij iuxta promissum Euangelicum, non
 modo uitam aeternam possidebunt, uerum etiam in hoc
 seculo centuplum accipient. Quid est autem accipere
 centuplum? Nempe pro fucatis bonis uera, pro incer-
 tis certa, pro fluxis aeterna, pro ueneno tristis sincera,
 pro curis otium, pro sollicitudine fiduciam, pro turbu-
 lentia tranquillitatem, pro dispendijs utilitatem, pro fla-
 gitij integritatem, pro conscientiae cruciatu, secretum
 & ineffabile gaudium, pro turpi atque infelici exitu, glo-
 riosam ac triumphalem mortem. Spreuisti diuitias a-
 more C H R I S T I, in ipso ueros inuenies thesauros.
 Reieciisti falsos honores, in hoc longe eris honoratior.
 Neglexisti parentum affectus, hoc indulgentius fouebit
 te pater uerus, qui est in caelis. Pro nihilo habuisti mun-
 danam sapientiam, in C H R I S T O longe uerius sa-
 pies, ac felicius. Aspernatus es pestiferas uoluptates, in
 ipso multo alias inuenies delicias. Breuiter, ubi arca-
 nas illas, sed ueras opes C H R I S T I, diffusa mun-
 di caligine uideris, omnia que prius arridebant, que
 sollicitabant, ea non solum non admiraberis, sed per-
 inde ut pestes quasdam fugies, reuicties, auersaberis.
 Fit enim mirum in modum, ut simul atque coelestis illa

lux animos nostros penitus attigerit , protinus nona quædam rerum omnium facies oboriatur . Itaq; quod paulo ante dulce uidebatur , nunc amarescit , quod amarum , dulcescit , quod horrendum , blanditur , quod blandiebatur , horreficit , quod splendidum ante , nunc sordidum , quod potens , infirmum , quod formosum , deforme , quod nobile , ignobile , quod opulentum , egenum , quod sublime , humile , quod lucrum , damnum , quod sapiens , stultum , quod uita , mors , quod expetendum , fugiendum , et contraria ut repente mutata rerum specie , nihil mirus esse iudices , quam id quod esse uidebantur . Ergo in uno C H R I S T O , compendio ac uera reperiuntur omnia bona , quorum inanes ac mendaces imagines , et umbras , ceu prestigias , mundus hic ostendit , quas miserum mortalium uulgs tanto animu tunultu , tantis dispendijs , tantis periculis , per fas nefasq; persequitur . Quam obsecro beatitudinem cum hoc animo conferre queas , qui iam liber sit ab errore , liber ab affectibus , securus semper gaudens ob testimonium conscientie , nulla de re sollicitus , altius , sublimis , ac cœlo proximus , iamq; supra sortem humanam , qui in C H R I S T O excelsissima petra nixus , omnes huius seculi fucos , tumultus , procellas ex alto rideat , neglegat , uel potius commiseretur ? Quid autem timeat is , qui propugnatorem habet Deum ? Ignominiam ? At summa est gloria pro C H R I S T O ignominiam pati . Paupertatem ? At opum sarcinam lubens abiicit , quisquis ad C H R I S T V M properat . Mortem ? At ea maxime in uotis est , per quam scit se se ad immortalē uitam

uitam esse transmittendum. Quia de re sit sollicitus, cuius pater coelestis etiā pilos habet annumeratos? Quid autem cupiat is, qui in C H R I S T O possidet omnia? Quid enim non commune membris & capiti? Nam vero quanta est hominis non modo felicitas, uerum etiam dignitas, uiuum esse membrum sanctissimi corporis ecclesiae, idem esse cum C H R I S T O, candem carnem, eundem spiritum, communem cum illo habere patrem in cœlis, C H R I S T U M habere fratrem, ad communionem cum illo hereditatem destinatum esse, breuiter iam non hominem esse, sed Deum? Adde his gustum quendam felicitatis futuræ, quem pie mentes subinde percipiunt. Hæc nimurum uiderat, hanc senserat propæta, cum ait: Nec auris audiuit, nec oculus uidit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparasti Deus diligenteribus te. Proinde charissimi sodales, si dabimus operam, ut uere C H R I S T I membra simus, iuxta illud propheticum dictum, Iustus ut palma florebit, etiam in hac uita perpetua quadam adolescentia uernabimus, nō animo tantum, uerum etiam corpore. Etenim quemadmodum floridus ille I E S V spiritus in nostrum spiritum redundabit, ita noster uicissim in suum corpus influet, & quoad fieri potest, in se se transformabit. Nec poterit tantus animi ac corporis nitor uestium frides ferre. Nam animus noster habitaculum est Dei, animi domiciliū est corpus, porro uestis & ipsa corporis, quodammodo corpus est. Ita fiet, ut capitis puritati totus homo respondeat, donec peracta hac uita ad immortalitatem traducatur.

k 2 Epi

E P I L O G V S.

Agite igitur optimi commilitones, ad hanc tantam felicitatem, summis viribus emitamur, ducem nostrum Iesum vel unum admiremur, quo maius nihil esse potest, immo sine quo nihil est omnino magnum. Huc unum amemus, quo nihil esse melius potest, immo extra quem nihil est omnino bonum. Hunc imitemur, qui solus est uerum et absolutum pietatis exemplar, extra quem quisquis sapit, desipit. Huic uni inhæreamus, hunc unum amplectamur, hoc uno fruamur, in quo est uera pax, gaudium, tranquillitas, uoluptas, uita, immortalitas. Quid multis? Summa bonorum est omnium. Extra hunc nihil suspiciamus, nihil amemus, nihil appetamus, huic uni placere studeamus. Meminerimus nos sub illius oculis, et illius angelis testibus, quicquid agimus agere. Zelotypus est, nec ulla mundi sordes patitur. Quare puram et angelicam in illo uiuamus uitam, ille sit nobis in corde, in ore, in omni uita. Hunc penitus sapiamus, huc loquamur, hunc moribus exprimamus. In illo negotium, otium, gaudiū, solatium, spem, praesidiū omne collocemus. Hic à uigilantī animis nunquam discedat, hic dormientibus occurrat. Hunc et literae nostrae et lusus etiam sapient, per huc et in hoc crescamus donec occurramus in uirū perfectū, gnauiter obicitu militia, perpetuum cum illo triumphum agamus in coeli.

D I X I.

D. Erasmi

D. ERASMI R. T. EX.
postulatio Iesu cum homine
suapte culpa pereunte.

SCRIPSIT ADOLESCENS.



V M mihi fint uni bona, que uel fron
dea tellus,
Vel olympus ingens continet:
Dicite mortales, que uos dementia
cepit,
Hec aucupari ut undeuis
Malitis, quam de proprio depositere fonte,
Adeo benigno, et obuio,
Mendacesq; iuuet trepido miseroq; tumultu
Vmbras bonorum persecui,
Pauci me, qui sum ueræ largitor et autor
Felicitatis, expetant?
Forma rapit multos, me nil formosius usquam est,
Formam ardet hanc nemo tamen.
Suspiciunt ceras, antiquaq; stemmata multi,
At me quid est illustrius?
Ut qui sim genitore Deo Deus ipse profectus,
Genitrice natus uirgine.
Vnde fit, ut mecum uix gestiat unus et alter,
Affinitatem iungere?
Maximus ille ego sum coeliq; soliq; monarcha,
Seuire nobis cur pudet?
Diues item, et facilis dare magna, et multa roganti,

k 3 Roga.

Rogari amo, nemo rogat.

Sumq; uocorq; patris summi sapientia, nemo
Me consulit mortalium.

Ipse ego sum ætherei splendorq; decusq; parentis,
Me nemo stupet, aut suspicit.

Sum firmus iuxta, ac iucundus amicus amico,
Me pariter, ac meas opes

Candidus, atq; lubens charis impertio, nemo hanc
Ambit necessitudinem.

Sum uia, qua sola coeli itur ad astra, tamen me
Terit uiator infrequens.

Cur tandem ignarum dubitat mihi credere uulgus?
Aeterna cum sim ueritas.

Pollicitis cur stulte meis diffidere perstas,
Cum sit nihil fidelius?

Autor ad haec uitæ cum sim unicus ipsaq; uita,
Cur sordeo mortalibus?

Lux ego sum, cur huc uertunt sua lumina pauci?
Dux, cur grauantur insequi?

Viuendi recte certissima regula solus;
Aliunde formas cur petunt?

Ipse ego sum solus uera, & sine felle uoluptas,
Quid est quod ita fastidior?

Vnica pax animi, quin huc deponitis ægri,
Curas edaces pectoris?

Si benefacta truces etiam meminere leones,
Referuntq; belue uicem,

Respondere feri merito didicere dracones,
Si meminit officij canis,

Sireda

Si redamant aquilæ, redamant delphines amantem,
 Cur efferatior feris,
 Memē non redamas homo, cui semel omnia feci,
 Quem condidi, quem sanguine
 Afferui proprio, propriæq; à morte recepi
 Dispensio uitæ uolens?
 Si bos agnoscit dominum, si brutus asellus
 Agnoscit altorem suum,
 Cur me solus homo male gratus nosse recusas,
 Et conditorem, ex uindicem?
 Vnus ego hic tibi sum cunctorum summa bonorum
 Quid est quod extra me petas?
 Quorūsum distraheris per tot dispensia, graffans,
 Laboriosa inertia?
 Sum placabilis, ex pronus miserefcere, quin hoc
 Miser ad asylum configis?
 Idem iustus, ex implacabilis ulti iniqui.
 Cur non times offendere?
 Corpus ego, atq; animum nutu sub tartara mitto,
 Nostri metus uix illum habet.
 Proinde mei desertor homo, socordia si te
 Adducet in mortem tua,
 Præteritum nihil est, in me ne reijce culpam,
 Malorum es ipse autor tibi.
 Nam quid adhuc supereft, si te neq; prouocat ardens
 Suiq; prodiga charitas,
 O bis marmoreum pectus, neq; mitigat unquam
 Adeo profusa benignitas.
 Si neq; tantarum fpes uel certissima rerum

Expergefacit, ex allicit?
 Si neq; tartareæ cohabet formido gehennæ,
 Nec ullus admonet pudor?
 Immo si durant magis hæc, adduntq; stuporem,
 Tam multa, tamq; insignia,
 Ut facile immanesq; feras, chalybemq; petramq;
 Rigore uicto moliant,
 Quid faciat pietas, quibus artibus abstrahat ultro
 Deuota morti pectora?
 Inuitum seruare, nec est mentis (puto) sanæ,
 Et patria prohibet æquitas.

I M A G O P V E R I I E S V P O-
 sita in ludo literario, quem Lon= dini instituit Coletus.

Discite me primum pueri, atq; effingite puris
 Moribus, inde pias addite literulas.

C A R M E N P H A L E C I V M.

Sedes hæc pueru sacra est I E S V ,
 Formandis pueris dicata, quare
 Edico, procul hinc faceſſat, aut qui
 Spurcis moribus, aut incrudita,
 Ludum hunc inquiet eruditione.

C A R M E N I A M B I C I V M.

Non inuenusto antiquitas enigmate
 Studij magistram, uirginem
 Finxit Mineruam, ac literarum presides

Finxit

Finxit Camoenas uirgines.
 Nunc ipse uirgo matre natus uirgine.
 Præsideo uirgineo gregi,
 Et soſpitator huius, & custos schole.
 Adsunt ministri uirgines,
 Pueros meos mecum tuentes angeli.
 Mihi grata ubiq; puritas,
 Decetq; ſtudia literarum puritas
 Procul ergo ſacro à limine,
 Morum arceant mihi literatores luem,
 Nihil huc recipient barbarum.
 Procul arceant illiteratas literas,
 Nec regna polluant mea.

A L I V D.

Quin hunc ad puerum pueri concurritis omnes?
 Vnus hic eſt uite regula, fonsq; piæ.
 Hunc qui non sapiat, huius sapientia ſtulta eſt,
 Abſq; hoc uita hominis mors (mibi crede) mera eſt.

S A P H I C V M.

Cœperit fauſtis auibus precamur,
 Semper augescens meliore fato,
 Hic nouæ ſudor nouus officinæ.

Aufſpice I E S V.

Hic rudis(tanquam noua testa)pubes
 Literas graias, ſimil & latinas,
 Et fidem ſacram, tenerisq; Christum
 Combibet annis.

k s

Quid

*Quid fuit leta sobolem dedisse
 Corporis forma, nisi mens et ipsa
 Rite singatur, studijsque castis
 Culta nitescat?
 Stirpe ab hac sensim noua pullulabit
 Ciuitum proles, pietate iuxta, ac
 Literis pollens, breuiterque regno,
 Digna Britanno.*

*Ludus hic sylue pariet futuræ
 Semina, hinc diues nemus undiquaque;
 Densius surgens decorabit Anglum
 Latius orbem..*

ODE DICOLOS, DISTROPHOS,
*altero uersu Heroico Hexametro, altero Iâbico
 Dimetro. De casa natalitia pueri
 I E S V, deque puerperio uir=*
ginis deiparæ Marie.

E quid adhuc ueterum sequimur spectacula rerum?

Huc huc frequentes currite.

*Hec casa, que lacera et stat agrestibus horrida culmis,
 Nouum dabit spectaculum.*

*Quale nihil saeclis proaui uidere uetus istis,
 Nihil uidebunt posteri.*

*Hic cuius tonitru tellusque tremescit et aether,
 Teneris crepat uagitus.*

*Hic orbis magni moderator maximus infans
 Virginea mulget ubera.*

His ego non stabulis augusta palatia Rome

Felia

Feliciora iudicem.

Non (operosa licet) Solomonia templa, nec auream

Lydi tyranni regiam.

Salve clara domus, cœloq; beator ipso,

Partus sacrati conscia.

Iure tibi Iouis inuideant Capitolia falsi,

Diuis superba saxeis.

Aegyptus sancta inuideat cunabula, monstros

Finem datura turpibus.

Nec minus apta deo es, quod hiantibus undiq; rimis

Imbres ex Euros accipis.

Quod lodicis egens, rigidoq; incommoda fœno

Fœtus rubenteis excipis.

Talia nascentem decuere cubilia C H R I S T V M , ut

Qui dedocere uenerit

Fastum, nullaq; non suadentem turpia luxum.

Non hic renident purpure,

Sertá ue frondea, non imutantes fulmina tæde,

Non mensa sumptuosior,

Nec strepit officijs domus ambitiosa, nec alti

Fouent puerperam thori.

Pannosus iacet in duris præsepibus infans.

Diuinus attamen uigor

Emicat, ex patrios uagitu dispuit ignes.

Sensere præsentem deum,

(Quodq; licet) puero iumenta tepentibus auris

Frigus decembre temperant.

Vpilio calamis ijsdem, quibus ante cappellis,

Agreste, sed pium canit.

Actio

Aethereiꝝ; chori uolitant cunabula circum,
 Ut mensibus uernis, apum
 Degenerem simul ac pepulere examina regem,
 Regi nouo, fauentibus
 Applaudunt alis, sublimemꝝ; agmine tollunt.
 Sic turma coelitum duci
 Circunfusa suo, gaudens stupet, atq; iacentem
 Pronis adorat uultibus,
 Et natalitium sonat ad præsepio carmen.
 Coniux pudicus interim,
 Fufus humi, magnum trepidus ueneratur alumnus.
 Porro puella, nobilis
 Pars bona spectacli, defixis heret ocellis,
 Primumq; seſe non capit,
 Seq; suumq; stupens genitrix uirguncula partum.
 Nulli marito debitum.
 At simul eiecit pietas materna stuporem,
 Prædulce pignus corripit,
 Ac modo porrectis prohibet uagire papillis,
 Modo tepente frigidum
 Blanda fouet gremio, paruisq; dat oscula labris.
 Nunc pectori adprimit suo,
 Nunc bleſo teneros inuitat murmure somnos,
 Amabili inuicem modo.
 Letam prole deo uideas gestire parentem,
 Prolem parente uirgine.

Epita

EPITAPHIVM SCVRRV=
LAE TEMVLENTI,
SCAZON.

Pax sit uiator, tacitus hos legas uersus,
 Ut sacra uerba muſitant sacerdotes,
 Ne mihi suauem strepitus auferat somnum.
 Repetatq; uigiles illico sitis fauces.
 Nam Scurrula hocce sterto conditus saxo,
 Quondam ille magni clarus Euij mystes,
 Ut qui bis octo lustra perbibi tota,
 Oculis profundus deinde somnus obrepſit,
 Ut fit, benigno membra cum madent Baccho.
 Atq; ita peractis suauiter bonis annis,
 Idem bibendi finis, atq; uiuendi
 Fuit. Sed etiam me aliquis ebrium credat,
 Aut somniare, qui ista dormiens dicam,
 Vale uiator, iam silenter abſcede.

F I N I S.



